UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Secundo die Iouis Quadragesimæ. Homilia Nona. De Chananæa. Egressus Iesus receßit in partes Tyri & Sidonis, &c. Matth. 15.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53012

Visual Library

ſed nos potius inſtruant rudiores. Ex Niniuitis feriam diſcamus agere pœnitentiam, & ex Regina Auſtri in perſeuerare ſapientes: vt in hac vita viuamus per Dei gratiam, qua ſemper in æterna gloria perfruamur. Amen.

# SVMMARIVM

## HOMILIÆ NONÆ SEQVENTIS.

a §. 1.
b §. 2.
c §. 3. 4.
d §. 5.
e §. 6.
f §. 7.
g §. 8.
h §. 9. & 10.
i §. 11.
k §. 12. 13
l §. 14. 15 16.
m §. 17. 18.
n §. 19.

PRoponit nobis Euangelium mulierem Chananæam, quæ nobis ſit magiſtra orationis *a* hæc enim ea eſt, qua quidquid nobis eſt neceſſarium, obtinemus *b* Eam domo ſua expulerunt calamitates, & ad Chriſtum adduxerunt: ipſe enim eſt, qui ad hoc illas immittit *c* & docet nos orationis argumenta. Primum: à peccato diſcedere *d*. Secundum: exordiri à *Miſerere* *e*. Tertium: ſuorum peccatorum culpas recognoſcere *f* Quartum: ad Deum recurrere pro remedio quod ſi ſubinde taceat, nec reſpondeat, hæc ea eſt ratio: ne tua finiatur oratio, quæ ei eſt acceptatiſſima *h*. Et ſi verbis non reſpondeat, reſpondet tamen via virtutis *i*. Quintum: in ea perſeuerare *k*. Sextum: calamitates perferre patienter *l* & de neceſſitate elice e virtutis exercitium *m*. Oratio tantæ fidei, à Deo, quidquid petierit, impetrabit *n*.

§. 1. Excitat Dominus cœleſti ſpiritu *mulieres, quando virorum deficit feruor ſpiritus.*

§. 2. *Eſt oratio, theſaurorum Dei clauis, cuius vſum nos docet mulier Chananæa.*

§. 3 *Eliæ Iudæos deſerenti, corui ſeruierunt, & Chriſto gentiles, ad quorum vltimam lineam Sol iſte radiauit.*

§. 4. Egreſſa mulier. *Egreſſus Chriſti, huius mulieris operabatur egreſſum, quæ, vt Onager, capta eſt tribulatione.*

§. 5 Egreſſa. *Ad faciendam orationem, egredere de peccato: quia etiam alienum peccatum impedit orantem Moyſen: Cur ſtantes oremus.*

§ 6 Miſerere. *Hinc optime inchoatur oratio, & non ſicut Pelagius docet, nec vult Deus virge verbera.*

§. 7. Mei. *Punit Deus parentes in filiis, & aliquando dæmonem ſuis appetunt filiabus.*

§. 8. *Magna huius mulieris fides, quæ Chriſtum implorat: eſt enim aduerſitas, vt mucro Hieremiæ.*

§. 9. Non reſpondit. *Deus nobis non reſpondet: vel quia illi non reſpondemus, vel quia diſſimulat.*

§. 10. *Eſt pauperum oratio aroma Deo ſuaue fragrans, quam vt melius audiat, præcipitur in cælo ſilentium.*

§. 11. Verbum. *Chriſtus mulieri via verbi non reſpondit, ſed virtutis, vt Dauid ait:*

§. 12. Accedentes Diſcipuli. *Chriſtus hoc eis negat, quod pro muliere hac requirebant, vt eius oſtendat virtutem.*

§. 13. At illa venit. *Orationi neceſſaria eſt perſeuerantia, licet nobis nullus reſpondeat.*

§. 14 Non eſt bonum. *Hac repulſa prouocat Chriſtus huius mulieris fidem, quæ hortus apparet cæleſtis.*

§. 15. Etiam Domine. *Ex opprobrio retulit mulier miſericordiam, ſicut Anna & Eſther.*

§. 16. Mittere canibus. *Attende, quod melior eſt canis viuus leone mortuo, & quòd de tenebris Deus lucem educit.*

§. 17. Etiam

§. 17. Etiam Domine. *Chriſtus amat & cruciat, vt Ioſeph, ſi vero nos tribulationem voluntarie ſuſcipimus, vt mulier hæc, erit nobis vtiliſſima.*

§. 18. Etiam Domine. *Ficus ſimus primi-floris, vt mulier hæc.*

§. 19. Magna eſt fides tua. *Videtur fidem hanc præferre fidei Abrahæ: Talis fides a Deo obtinet, etiam illud, quod ipſe dixerat, non eſſe bonum hoc facere.*

# HOMILIA IX.

## DE CHANANÆA

Secundo die Iovis Quadrageſimæ.

*Egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis*, &c. Matth. 15.

¶ 1 QVod ſi præſentem comparemus hiſtoriam, quam vitæ Chriſti commentator D. Matthæus conſcribit, cum ea quam heri nobis obiecit; patebit luce clarius meridiana quod in Chriſto Domino noſtro impletas deſignet perfectiſſima; veri Dei qualitates, quas ipſe Deus eaſdem eſſe dixit quæ eſſent & ignis; *Deus tuus*
Deu. 4.24. *ignis conſumens eſt.* Illas ſeruatur Origen. qui
Origen. illas aſſerit diuerſis effectibus manifeſtari,
Homil. 13 in Ioſue. quos in iis, quæ igni adhibentur, operatur.
1. Si quippe ſit ſtraminis manipulus, eius flammis
Chriſtus iniectus, comburitur, conſumitur fucus effectus
ignis eſt. candelæ. Si vero lamina fulgeat aurea, quo eam fornax erit ardentius, eo purior, eo prodit lucidior. Hæc in Chriſto perpende, igne illo Diuino. Heri quidam ad eum acceſſerunt Phariſæi; hodie accedit mulier; Erant illi ſtipula; *Scribæ & Phariſæi:* Hypocritæ, ſolo nitore exteriori ſibi blandientes, nulla vera virtute fulgidi. Illos apprehendit ac inuadit ſupremus ille ignis, diuinæ ſuæ flammis reprehenſionis eos inflammat: *Generatio praua & adultera:* vt homines damnat obduratos, æternam illis prædixit damnationem quorum iudices arbitri ſeu criminales ſedebunt Niniuitæ, & Regina Au-
Malach. c.4.1. ſtri. *Erunt omnes ſuperbi, & facientes impietatem ſtipula & inflammabit eos.* Quæ vero hodie
(a) Oro de veynte y quatro quilates. accedit mulier, aurum eſt puriſſimum (a) ad cotem tribulationum probatum. Hanc arripit mulierem, ignis flamma; cum prius illi nec verbum reſponderit; deinde reiecerit, tandem vt canem ablegarit, tamen abſit, vt conſumatur, quin potius purificatur vt aurum, in qua lucidiſſimi omnium virtutum radii effulgere videantur: nimirum fides firma, ſpes ſecura, charitas incenſa, pietas deuota, humilitas profunda, patientia conſtans, perſeuerantia inuincibilis, prudentia diſcreta, & fortitudo tanta, quæ vincat & ipſum Deum, & ſi Phariſæis nedum id quod petebant, non conceſſit, huic tantum elargitus eſt eius, quod rogauit, vt ſuam propriam, mulieris tradiderit ac conſignarit voluntati; quam etiam in Eccleſia ſua fidei propoſuit exemplar: fuit enim huius mulieris fides eminentiſſima. *O mulier magna eſt fides tua.* Quocirca etiam nos D. Euangeliſta hortatur, vt in eam oculos noſtros coniiciamus, & quaſi verum fidei, cæterarumque virtutum exemplar intueamur, quod imitemur *Ecce mulier Chananæa*: vt enim aduertit D. Gregor. Nyſſen. hæc & ſimiles hi-
ſtoriæ, nobis non prælegumtur, vt eas tantum Orat. in
admiremur, nimis enim paruus eſſet hic effectus, funere
ſed vt nos ad ſedulam moueant imitationem. Pulcheriæ
*Ecce mulier Chananæa.* Oculos conice (hortatur Euangeliſta) in mulierem Chananæam. Secundum naturam malorum parentum malam ſobolem, at cœleſti gratia, adeo diuinam prolem, vt ad eam contuendam gratia cæleſtis ſit nobis omnimode neceſſaria: eam igitur requiramus, cæleſti Domina mediatrice, quam vidit in cælo D. Ioannes amictam ſole, & gratia pleniſſimam *Aue Maria.*

*§. 1. Excitat Dominus cæleſti ſpiritu mulieres, quando virorum deficit feruor ſpiritus.*

2 D. Hier. *Epiſt. ad Principiam, & lib. 1. contra Iouinianum, & in prologo ſuper Sophoniam To. 5.* *Iudi. c. 4.*

NOtat D. Hieronymus quod Deus pro veteri conſuetudine, quando viri deficiunt, & aberrant ab eo, ad quod tenentur, excitet ſpiritum mulierum tam ſapientem, ac iuſtum, vt virorum ſuppleat defectum, quo ex vna parte rubore viros confundat, ex altera vero declaret, & brachii ſui exponat potentiam, & diuinæ ſuæ prouidentiæ ſecuritatem. *Hæc norma ſcripturarum, vt deficientibus viris ſanctis, mulieres in virorum laudentur opprobria.* Hoc omnibus eſt in profeſſo circa illam hiſtoriam quam refert Spiritus S. Inſurgit & arma ſumit viliſſimus populus infidelium, contra populum Dei hinc viri adeo vecordes obſtupuerunt; vt occurrere nullus auſus fuerit inimicis: excitat Deus celebrem illam propheniſſam Deboram, quæ ſub palma morabatur, hanc ducem creat omnibus Ducibus quæ tam prouida huic ſtratagemati decernit præſcripta, vt eius ſapientia, hoſtes numero copioſiores deuicti, in turpem fugam acti, & Dei populus perilluſtri victoria redierit glorioſus.

*4. Reg. 12.* Demum in diebus Regis Ioſiæ. Viri primates quorum intererat eſſe populi Magiſtros: bonarum diſciplinarum, & legis Dei imperiti langueſcebant, excitat tunc Dominus ſpiritum mulieris Holdæ, hanc doctricem ac magiſtram creat totius populi Doctoribus, quam ſummus ſacerdos Elcias, & primæ notæ viri conſulebant Tempore Nabuchodonoſor quando in Bethulia Magiſtri ac ſacerdotes adeo a recto itinere deflexerant, vt Diuinæ tempus ſtatuerent miſericordiæ, excitat Deus mulierem viduam Iudith, quæ innata ſibi ſapientia conuincit & Doctores & ſacerdotes, ipſa quoque ſola plus efficit, quã tota in vnum Reſpublica congregata. Alia addit exempla D. Hier. tam mulierum, quas refert Scriptura, quam aliarum, quarum præclara facinora prædicant auctores prophani, quas vt ſapientiſſimas extollunt: Aſpaſiam de qua agit Plato. Sapho, cuius meminit Pindarus. Corneliam, vrbis Romanæ miraculum, quam celebrat Carneades philoſophus &c. Verumtamen hæc nobis ex Euangelio mulier ſufficiat.

Heri Phariſæi viri populi Dei, Reipublicæ luminaria, ſapientes Magiſtri noſtri, adeo ſunt rudes, ac hebetes qui cum Deo agant, vt parum eſt, quod petita non impetrent, inſuper pro litteris aſſertoriis, verba referunt acerrima, terribilia, minas formidabiles, æternæ ſuæ prognoſtica damnationis. Hodie ſpiritum excitat Dominus mulieris communis, vilis, proiectæ Chananæ, quæ agere feſtinat cum Deo, idque tam felici ingenio, acri iudicio, ac multa facundia, vt ipſam cœli ſibi ſubdat fortitudinem, & Dei ſibi cor deuinciat, vt inde hauriat quidlibet, pro ſuæ voto voluntatis, cui datur tam generale aſſertorium, vt ei dicatur; *Fiat tibi ſicut vis.* Quales illi viri, & qualis hæc mulier? Viri illi, filii generis Abrahæ in ſe & filiis ſuis benedicti; *Benedicentur in te omnes gentes.* Viri in ſchola Dei verſatiſſimi, graduati in S. Scriptura, inter prophetas educati Illi, inquam viri hærent adeo elingues, barbari, peruerſi, quales heri eos conſiderauimus. Mulier hæc, filia Cham; maledictus ille, maledicti eius poſteri ac nepotes, ob horrendam in patrem Noe commiſſam irreuerentiam. Mulier, quæ nullas virtutum claſſes frequentarat, nec alios coluerat Magiſtros, niſi dæmones, quos in idolis adorauerat, lacte ſacrilegiorum, idololatriæ, ac omni nequitiarum genere enutrita; ecce prodit illa tam prudens, ſagax, itinere graditur adeo recto, vt totam illa doceat Eccleſiam, & ſit virtutum omnium ſapientiſſima Magiſtra. *Ge. 22. 17*

Hoc ſuppoſito hodie mundum offendimus inuerſum ac præpoſterum prout eum, mundum conſiderans Salomon vidit, dum ait; *Vidi ſeruos in equis, & Principes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos.* Ordo præpoſterus. Erant Iudæi Domini Dei familiares, chariſſima pignora. *Quorum adoptio eſt filiorum, & gloria & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa.* inquit Apoſtolus. Chananæi vero, vt mancipia, & ſerui ad perpetuas damnati triremes, per patrem ſuum Noe ob commiſſam in eum impudentiam, quorum primi ſerui fuerunt, quos mundus ſibi ſeruos ſubiecit, & ex quibus orta eſt infamis ſeruitus. *Sit Chanaan ſeruus eius.* Ita quoque mulier hæc Chriſto Domino humiliter confitebatur, quando Iudæos vt filios nominarat, Chananæos autem vt canes reiecerat, ipſa prudens intulit; *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Illi vero, qui Domini erant, deſcendunt pedites ex leuiori fidei equo illo, inquam cui inſidens anima, ſurſum aſcendit & cœlos ipſos ſuperuolitat, penetrat ad intima, illi vero repunt per terram maledicti: eo quod eorum cogitatio ne digito quidem altius ipſa terra ſurſum ad Deum eleuetur, 3 *Ecc. 10. 7.* *Ro. c. 9. 4.* *Gen. 9. 25.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uetur; homines, terrigenæ, & adeo obtenebrati, vt ipſum lucidiſſimum ſolem ſibi præſentem non intueantur: famula vero hæc ac vile mancipium, equum ſibi arripit fidei, ex quo illi deſcenderant, illum ſcandit, & contento mirabilique curſu progreditur in cognitione Chriſti Diuinitatis, cui connectit actus heroicos humilitatis, patientiæ, perſeuerantiæ, præſertim vero orationis: actus tam ſingulares, vt eos Chriſtus demiretur, quibus eum ſuperet, ſibi ſubiiciat, hoc denique agat, vt ipſe Chriſtus eius virtutis ac fidei ſit præco, quam ſic canora voce deprædicat. *O mulier magna eſt fides tua.* Nos eam conſideremus.

**§. 2. *Eſt oratio, theſaurorum Dei clauis, cuius vſum nos docet mulier Chananæa.***

4 MVlta licet ſint hac in muliere, & admiranda, & imitanda, quod tamen in ea cæteris præeminet, illud eſt, quod nomen ſignat, quo eam deſcribit Euangeliſta *Ecce mulier Chananæa.* Nomen Chananæa ſignificat, negotiatricem. Phraſis eſt vulgaris S. Scripturæ, quod
*Pro. c.31. 24.* negotiatores vocet Chananæos ita loquitur de forti illa muliere; *Cingulum tradidit, Chananæo,* quod alii legunt, *Negotiatori.* Et hoc in muliere hac præfulſit, quod fuerit negotiatrix cum Deo. Medium commune, & generale cum Deo negotiandi, ſtatuitur oratio. In hac autem adeo primo gradu profecerat, vt magiſtra cæteris Eccleſiæ litteratiſſimis Doctoribus præſidere poſſe videatur. Hærent aliqui, & admirantur: videtur enim quod Dominus nimis parcus ac minus fuerit effuſus, reſpectu hominis, qui ſe tamen aliis animantibus oſtendit adeo liberalem, illis enim omnibus abundanter, & effuſa manu ſuppeditauit, quæ ad eorum conſeruationem, ac defenſionem neceſſaria eſſe cenſebantur. Auibus conceſſit alas & plumas, quibus volarent. Animalium quædam armauit unguibus, alia cornibus; dentibus alia, celeritate alia, quibus ſe defenderent, fugerent, conſeruarent: Homini vero horum dedit nihil, nec alas ad volatum, nec ad capiendum vngues, nec in defenſionem cornua, nec ad fugam velocitatem; hoc etenim ſubtiliter dixit
*Iob 1.21.* Iob vnico verbo; *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ.* Attamen, eſt omnino veriſſimum, quod Deus nedum minime parcus fuerit homini, quinimo multo abundantius illi prouiderit de iis quæ ei opus erant, quam omnibus aliis creaturis eo quod illi omnium ſuorum tradiderit clauem theſaurorum. Quis illum vt auarum reprehenderet Regem erga filium ſuum Principem, qui cum famulis ſuis diuitias ſuas diſpertiret, filio vero ſuo harum nihil daret; daret autem ei omnium theſaurorum ſuorum clauem, quam ſemel tantum retorquens, haberet quidquid deſideraret. Ita cum hominibus egit Deus. Cunctis animalibus ſua ſingulis dona diſpertiuit. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* *Pſa. 144. 16.* Quæ pulchritudo pauoni? qui vngues leoni? quæ fortitudo tigridi? quæ proboſcis elephanti? quod cornu Rhinoceroti? quæ crania equo? quæ ceruo celeritas? quæ ſanitas coruo? quæ alæ aquilæ? quæ plumæ auibus? quæ ouibus lana? Homini horum nihil, conſenſio; verumtamen dedit illi, ait D. Augu. *Se.220. de temp.* clauem vniuerſalem omnium gazarum, quas Deus poſſidet, quæ eſt hæc clauis? Oratio, quæ nihil aliud eſt, quam certa clauis cæli vbi Dei theſauri concluſi reſeruantur.

Hoc ipſum Deus homini primitus expoſuit, quando, ſtatim a peccato commiſſo, & Adam ſummis miſeriis obruto, mulieri prædixit, *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris.* *Gen. 3.16.* Quid igitur Domine Deus, an nullum ei ſupereſt remedium Itane mulierem omni deſtitutam ſolatio deſeres? Nequaquam, quod ergo ei paras remedium? *Ad virum tuum conuerſio tua.* Ita legunt multi, (aſſerit D. Hieron. a) & legit D. Chryſoſt. b & Cypr. c id quod noſtra vulgata lectio habet: *Sub viri poteſtate eris.* Nuda es o mulier omni bono, ecce tibi præparo remedium vniuerſale, hoc autem pono in eo quod oculos tuos ad virum tuum conuertas, quacumque te videris preſſam calamitate. *Ad virum tuum conuerſio tua.* Sed qua ratione Domine Deus illam tribulationibus leuabit, qui non minus quam illa, tribulationibus arctatur condemnatus? Voluit exponere remedium, quod per hoc homini concedit ſuis omnibus tribulationibus, ac neceſſitatibus ſubleuandis peraccommodum Sponſus noſter, Deus eſt. Aſſignare remedium vniuerſale cunctis calamitatibus vtiliſſimum, mulieri, vt ſuos ad ſponſum conuertat oculos, quaſi figurabat, quod illud ipſum erat, quod homini parabat quibuſcumque ſuis ærumnis aptiſſimum, nimirum, ſi oculos ſuos ſurſum ad Deum dirigat, dicatque cum Dauide; *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.* *Pſa. 122. 1.* Oratio eſt (inquit D. Damaſcenus, apud D. Thom. a) *Eleuatio mentis in Deum.* Hæc eſt (auctore D. Auguſtino b) clauis arcarum Dei, clauis cœlorum. Quam eleganter hoc dixit D. Iacob. *Elias homo erat, ſimilis nobis paſſibilis & ora-*

*a Lib. de tradition. Hebrain Gen.*
*b Hom in Gen.*
*c Li. de diſcipl. & habitu.*
*D. Damaſ. a 2.2.q.83.*
*b Ser. 226. de temp.*
*Iaco. 5.17.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*& oratione orauit, vt non pluerct.* Aperiebat & claudebat pro libitu ciſtas illas cœleſtes, hac vtens claui ſuperemenenti. Hoc Chriſtus nos docuit, quandò, vt nos ab omni eximeret cura, & ſolicitudine, quibus ob quotidianas anguſtamur neceſſitates, & quid nobis ſit agendum, ignoramus dum nobis deficit corporis valetudo quies, opes, panis, veſtis, & nos a Deo omnium indigos & derelictos arbitramur. Non te frangat iſta res, ne queraris (ait Dominus) ecce enim omnium theſaurorum Dei clauis in

Mart. 11. 24. manu tua, contorque eam, & aperi; *Quæcumque orantes petitis credite quia accipietis, & euenient vobis.* Ad votum omnibus abunde munitum ac inſtructum eduxit Dominus populum de Ægyptiaca ſeruitute: licet adeo omnis alimenti indigum, vt non niſi parum farinæ ſecum detulerit. Virorum erat numerus ſexcenta millia, exceptis mulieribus, paruulis ac Senioribus,

Num. 11. 21. quorum erat numerus ſine numero. *Sexcenta millia peditum.* Num ergo tantæ præcipis multitudini, iter aggrediatur tam largum, ſterile, infructuoſum, diuturnum, ſine vlla prouiſione, cum & in terram tendat adeo inaquoſam, vt illi ad potum deficiat frigida? Ne timueris, illi aliquid defuturum: hanc enim illi dedi cla-

Pſa. 80. 11. uem, & dixi: *Dilata os tuum, & implebo illud.* Dum neceſſitote premeris, hanc ſume clauem orationis, hac aperi, pete, & quidquid petieris, impetrabis. Si, vt aperiatur mare medium; iter ſolidum ſiccumque greſſibus tuis præbeat; Si, vt tibi de petra profiliat aqua cryſtallina: ſi, vt tibi cibus depluat de ſideribus, manibus piſtus Angelorum: ſi, vt tibi ventus adducat coturnices ad luxum: ſi, vt ſol curſum contineat, quo dies tibi pro voto protelletur, & abſoluas negotia, quæ prætendis; ſi, vt Iordanis fluxum ſuum ſuſpendat, quo liber tranſgrediaris; *Petite, & accipietis, pulſate, & aperietur vobis. Dilata os tuum.* Hinc intelligamus, quod dicit S. Tex-

Exo. 13. 18 tus; *Armati aſcenderunt filij Iſrael de terra Ægypti.* Quiſtud? conſiderando enim S. Scripturam

I. Quæ arma ſecum extulerint ex Ægypto filii Iſrael.

nec lanceas, nec gladios, nec baliſtas, nec thoraces æreos, nec vllum bellicum apparatum ſecum deuexerunt, ſed nec quidem potuerunt: tali quippe tumultu diſceſſerunt, vt nec in cibum quidquam niſi parum farinæ, rem nullius momenti potuerint conferre, & vix valuerint veſtium faſciculas colligare?

Et hoc quidem verum eſt (inquit Orig.) quod ſecum arma non extulerint at illos Deus armatos eduxit: eo quod illos armis munierit orationis; quæ tam eſt vniuerſalis, vt ea ſola poſſit plura, quam omnia arma defenſiua & offenſiua. Quod optime Rex Balac intellexit, dum vidit Dei populum (inquit Orig.) fines ſuos accedentem, tanto ex hoc horrore perculſus fuit, vt pene animos deiecerit; militare cogit concilium, timorem ſuum ac paruos exponit animos & admirantur omnes: qui & Regi; Quid tibi times, o Rex potentiſſime, regno tuo ſecurus, muris tuis, propugnaculis armiſque præmunitus; quid populum hunc inermem reformidas? Non inermis procedit hic populus: talia enim defert arma, quibus reſiſtat nemo: quæ ſunt (amabo) hæc arma? Oratio Illis hoc Rex expoſuit, dum populum Dei comparat boui, qui in ſuperiori oris parte dentibus caret, quibus herbas diſſindat: at vero Deus eius linguæ talem indidit fortitudinem, vt ea ſola cunctas diſcerpat herbas etiam fortiſſimas. *Ita delebit hic populus, omnes qui in noſtris finibus commorantur, quomodo* Nu. 22. 4.

*ſolet bos herbas, vſque ad radices carpere.* Sapiens contemplabatur Rex, quod licet Deus populum hunc eduxiſſet lanceis, gladiis loricis, & cæteris inermem illi tamen fortiſſima dediſſet arma, nimirum orationem, & tantum in lingua eius robur ac vires ſtatuiſſet, ut orando quidquid vellet impetraret. Ac proinde dixit: Populus hic tantis pollet viribus mouendo linguam, vt non ſit qui illi reſiſtat, ſicut nec bouis linguæ vllæ reſiſtere herbæ poſſe videntur. Et hæc eſt (ait Origen.) plurium Doctorum ſententia.

Quæ arma tam vniuerſalia, tam fortia, tam offenſiua, vt nullus ſit inimicus, quem hæc arma non ſuperent, nullus ictus, quem non retundant fortiora. Tantum eleuat manus ſuas Moyſes orando, & ecce tota langueſcit Amalecitarum fortitudo. Extollit Dei populus in cœlum voces, & ecce muri corruunt Ielicunthini. Vnico oris ſui verbo, ignem de cœlo detrahit Elias, in ſuorum contemptorum ſupplicium. Sola oratione contriuit piiſſima Eſther impiiſſimas Amani machinationes, quibus Dei populum perdere moliebatur. Alia nulla depoſcit arma Iudith vidua, mulier infirma, contra omnium copioſiſſimum, quos ſol vidit, exercitum Holoſernis: quando eum expugnatura deſcendit, rogante eam Summo Sacerdote, totoque Bethuliæ populo, quæ ſibi vellet arma comparari, re-

II. Oratio, at ma optima.

ſpondit: *Nihil aliud fiat, niſi oratio pro me, ad Dominum Deum noſtrum.* Iud. 8. 33

Quod & ipſum Summus Sacerdos Elachim intellexit, quando populus Dei quid primum ageret aut vltimum, animo conſternatus ignoraret: hoc unum in eorum defenſionem, libertatemque perſuaſit, ſcilicet oratio-

orationem. *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras,* &c. *Memores eſtote Moyſi ſerui Domini qui Amalec confidentem in virtute ſua, & in potentia ſua, & in exercitu ſuo, & in clypeis ſuis, & in curribus ſuis, & in equitibus ſuis, non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando, deiecit.*

7 Altius decantari non poteſt vis orationis, quam nobis eam extulit Spiritus ſanctus dum ait, quod per eam præualuerit, ac deuicerit Iacob fortiſſimum ac potentiſſimum illum Angelum: Luctabatur cum eo nocte tota, ac tandem: *Inualuit ad Angelum, & confortatus eſt,* Oſe. 12. 4. *fleuit, & rogauit eum.* Hæc enim illa fuit lucta, cumque ita ſit, quod Angelus ille fuerit vel Verbum æternum, vel eius diuinam repræſentarit perſonam, hoc ſignificabat, quod Deo ipſi præualuerit oratione: Nihil te hoc moueat, quod ſi Deus ſit omnipotens, & ipſa quoque eſt oratio; vt ab eo quælibet obtineat: quinimo vt ipſi manus liget, & noſtro loquendi modo, ipſum detineat, ne faciat, Phil. 4. 6. niſi quæ voluerimus. Ob hoc rogat nos Apoſtolus: *Nihil ſoliciti ſitis.* Quid hoc, an prohibes me diuerſis curis implicari, deficiente pane, valetudine, & quiete, quibus illa mihi comparem? Si me perſequatur inimicus, ſolicitus nihil ero? Ille mihi honorem, alter bona, vitam hic molitur perdere, nihil agam? quis me reddet ſecurum? Oratio. *Sed in omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* Contorque clauem orationis, & de Dei theſauris Luc. 11. 9. expromes quantum tibi fuerit neceſſarium: *Petite & accipietis.*

Porro te modo audio contradicentem Domine; hoc ego non experior: a multis enim diebus corporis rogaui ſanitatem, & infirmus decumbo flagito remedium, & ſemper omnium indigus viuo paxillo nudior. Quietem poſtulo, & ſedatus viuere: & ecce quotidie increſcunt calamitates. Hæc ſit (opinor) amice ratio, quia claui hac male vteris, nec armis iſtis ludere didiciſti. Ita obiectioni tuæ reſpondet D. Iaco- Iac. 4. 3. bus. *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis.* Prouerbium eſt, in clauibus & armis plus valere induſtriam, quam vires; quod ſi dexter romphæa non ludas, parum eſt, quod te illa ab hoſte non defendas incolumem, inſuper & teipſum occides inexpertus. Hoc vidimus in Phariſæis helternis, qui Chriſtum acceſſerunt ſigna petentes, & nedum minime quæ petierunt impetrarunt, quin potius, illis hoc maxime nocuerit. Attamen quid hodie poſſit oratio, patet, ſi quis induſtrius illis armis, hac claui vti nouerit, *Ecce mulier Chananæa.* Obiicies (credo); Domine, quod Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſes, Ioſue, Dauid, Daniel, Eſther, Iudith, aliique quam plurimi, petita conſequantur, non obſtupeo, fuerunt enim viri, coram Deo, meritis clariſſimi: ego vero peccator, miſer, miſerabilis, qui vitæ meæ tempus, non niſi peccatis conſumpſi, qua ratione, quæ peto, mihi largiatur? Hoc te nihil moretur; licet ſit mulier Chananæa, idololatra, maledicta, quidquid optarit aſſequetur, ſi artem nouerit negotiandi. Mulier Chananæa ſagax negotiatrix, clauem hanc adeo dextre contorquet, ut diuini pectoris aperiat ſcrinia, & theſaurorum ciſtas, Chriſti Domini pectus, *In quo ſunt omnes theſauri.* Quos Coloſſ. 2. 3 deprædatur, & quidquid voluerit impetrat, vt ipſe Chriſtus illi conſentit; *Fiat tibi, ſicut vis.* Nos ex illa diſcamus negotiari.

### §. 3. *Eliæ Iudæos deſerenti, corui ſeruierunt, & Chriſto gentiles, ad quorum vltimam lineam Sol iſte radiauit.*

*Egreſſus, Ieſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis & ecce mulier Chananæa a finibus illis egreſſa.* 8

Ecce hic impletam (ait D. Auguſtinus), Eliæ hiſtoriam Cum primum Vates ille Elias egreſ- Ser. 201. de temp. ſus eſt, & ſe Iudæis manifeſtauit, ſtatim in eum inſurrexerunt, eius miracula vilipenderunt: Illos ſtatuit deſerere, peregrina petere, deſerta colere, & ecce accurrunt corui, qui peregrino ſeruiant, cibos miniſtrent eſurienti, & derelicto obſequantur. Huius hiſtoriæ (inquit D. Auguſtinus) præcipuum intentum, non eſt littera mortua: illius ſcrutare ſpiritum; & Pſal. 117. 27. quid in ea Deus ſignet figuratum. Verus Elias Chriſtus eſt, cui pauca nomina, melius quam hoc, conueniant; Elias enim ſignificat: *Deus Dominus,* & hoc nomine a Rege Dauid inſignitur: *Deus Dominus & illuxit nobis.* Dum hic in publicum prodit, concionando, mirabilia inter Iudæos operando, mille eum infeſtant perſecutionibus, detrahunt calumniis, miracula peruertunt, doctrinam reiiciunt. Quocirca illis relictis abiit, deſerta petit, Gentilitatem lege diuina inculcam, Sacramentorum ac Dei cognitionis infœcundam. Certe Iudæa egredientem at Gentilitatem adeuntem. *Egreſſus, ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis.* Et ecce aduolant illi con-

tinuo corui, vt ei ſeruiant, lauteque recreent a Iudæis inhonoratum. Proprium Gentilibus nomen (teſte D. Auguſtino) eſt coruus, ob peccatorum nigredinem, quibus ita vndequaque fœdabatur, vt nullum eis ſupereſſet membrum candidum, nitidum, defœcatum. Ita de Gentilibus fatetur Eccleſia, in primo illo ſtatu; *Nigra ſum*, & addit, *ſed formoſa*. Declarans ſtatum poſteriorem, quem aqua deluta baptiſmatis eſt aſſecuta. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Egreditur de arca coruus, cuius cupediæ ſint ac deliciæ cadauera mortuorum. Eodem paſſu egreſſus infidelis populus ex Abrahæ domo, id eſt, veram vnius Dei fidem abnegans, inter idola lubens verſabatur. *Veluti morticinis cadaueribus, idolis miniſtrabat*, ait D. Auguſtinus; Quam primum Elias hic cœleſtis deſerta coluit, ecce in eius corui conuolant obſequium: Capharnaum ingreditur, & ecce Centurio Gentilis eum excipit honorifice, tanta fide, tanta confeſſione veneratur, vt & ipſum Chriſtum rapiat in admirationem. Samariam adit, & ecce mulier Samaritana, qualis huic occurrat Eliæ miniſtratura? Modo vero, ſecedens in partes Tyri & Sidonis, *Ecce mulier Chananæa*, innumeris eum recreat obſequiis, eius confitetur diuinitatem, adorat præſentiam, poteſtatem veneratur, pietatem inclamat, Maieſtati ſupplicat, miſericordiæ pedibus ſupp. conuoluta. *Ecce mulier Chananæa a finibus illis egreſſa.*

*Can. 1. 4.* *Pſal. 50. 9.* *D. Aug. Ser. 201. de tem. to. 10*

9 Non incongruum erit huic hiſtoriæ, id quod heri propoſuimus de ſtupendo illo portento, quod tantam philoſophandi ſapientibus Babylonicis ſuggeſſit rationem: nimirum ſolis retrogreſſus, nec eum ſiſtere in horologio Achaz, donec vltimam lineam radiis illuſtraret. Sol diuinus Chriſtus erat; cuius curſus communis per Iudæam agebatur, ad hoc enim illuxit mundo, ipſomet teſte: *Non ſum miſſus niſi ad oues domus Iſrael.* Hanc, curſum ſuum perficiens inambulabat. *Circuibat caſtella, in circuitu docens.* Attende modo eum retrogradientem: *Egreſſus Ieſus, ſeceſſit* &c. Curſum ſuum per Iudææ lineas deſerit, & ad Tyrios, Sidonioſque retrograditur, & vltimam eorum lineam illuſtrat. *Ecce mulier Chananæa.* Inter orbis nationes, nulla diſtantior ſeu rudior in Dei cognitione ipſis Chananæis, de quibus opinatur Lactantius Firmianus, quod ipſi omnium primi Deo terga verterint; eius fidem eiurarint, idola coluerint. *Hæc fuit prima gens, qua Deum ignorauit.* Ex genere fuit Cham, de quo Spiritus ſanctus recenſens filios Noe ait *Filius ſuus minor.* Non natu minor, ſiquidem D. Chryſoſtom. *a* D. Ambroſ. *b* notant eum fuiſſe natu maiorem fratre ſuo Iaphet, ſed ob morum peruerſitatem cæteris cenſetur inferior Huic nationi adeo erat innata malitia, vt Spiritus ſanctus teſtetur illi fuiſſe quaſi naturalem. *Nequam eſt natio illorum, & naturalis malitia ipſorum.* *Iniquiſſimæ gentes* (ait D. Chryſoſt.) *apud quas, etiam leges naturæ euerſæ fuerant.* Hinc orta phraſis Spiritus ſancti qua ſummam exponat malitiam, & hominem deſcribat omnium peſſimum, vt eum vocet Chananæum. Ita proloquitur de Synagoga. *Generatio tua de terra Chanaan.* Nec ipſe Daniel cognomen magis inuenit proprium, quo Senioris illius peruerſi, & contra pudicam Suſannam iudicis iniuſtiſſimi malitiam declararet, quam quod eum intitulet: *Semen Chanaan & non Iuda.* Licet autem vt talis tota illa natio haberetur, nominatim tamen erant mulieres cæteris nequiores, quæ maxime Dei animum offenderant, illæ enim lapis fuerant offenſionis & petra ſcandali Iudæis, vt in Dei contemptum idolis ſacrificarent quod grauiter expendit Rex Vates. *Sacrificauerunt ſculptilibus Chanaan.* Ecce lineam vltimam; *Ecce mulier Chananæa.* Hanc ſol ille diuinus illuſtrat, tanta lucis plenitudine, qua eam adeo reddit illuſtrem ac ſplendidam, vt ex ſe radios emittat adeo lucidos, ac claros, ut ad eius lucem gradi poſſe videamur. Ne hoc tibi perſuaſeris, Deo defuturum, qui illi ſeruiit obediens, qui eum ſequatur fidelis. Si eum tu manu mittas, & diuinæ gratiæ luci feneſtras occludas obduratus, nouit ille ad alium retrogradi tenebrionem, illum ſua luce colluſtrare, qua ille clarificetur, & in æternum viuat glorioſus.

*4. Reg. 20.* *Mat. 15.* *Mar. 6. 6.* *Lact. Firmiam. Li. 2. c. 14.* *Gen. 9. 24.* *a Ho. 29. in Gen.* *b Lib. de Noe arca. 31.* *Sap. 12. 10.* *D. Chriſt. In cap. 15. Mat. 10. 2.* *Eze. 16. 3.* *Dan. 13. 56.* *Pſ. 105. 38.*

## § 4. Egreſſa mulier. *Egreſſus Chriſti, huius mulieris operabatur egreſſum; quæ, vt Onager, capta eſt tribulatione.*

INgenioſe ſibi inuicem occinunt Chriſtus & Chananæa, quod Euangeliſta ſignificauit, eodem vtens verbo, de illo, & de illa loquens, de Chriſto ſic ait: *Egreſſus eſt Ieſus:* Statim vero de illa: *Egreſſa mulier Chananæa.* Etenim egreſſus ſibi ſubtiliter correſpondebant. Primo Ieſus egreſſus eſt, demum illa: quia huius egreſſus, ortum ſuum habuit ex egreſſu Ieſu; numquam enim illa Chriſtum quæſitura egrederetur, nec locum ſuæ nequitiæ ac cæcitatis deſereret 10

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

deſereret alio migratura, niſi Chriſtus prius Iudæa egrediens, & terram Chanaan ingrediens & terram Chanaan ingrediens, ſuæ lucis radios emitteret, quibus illam illuminauit.

I. Deus prior egreditur ad peccatorem.

Signauit in hoc diuinus Euangeliſta doctrinam Catholicam nimirum, quod numquam egrediatur peccator, vt Deum quærat, niſi primum Deus eum quæſiturus egrediatur: diuinæ ſuæ gratiæ radiis illuſtrans, quibus illum prior moueat, & incitet torpeſcentem. Numquam Petrus de miſerabili triplicis negationis ſcandalo foras egrederetur niſi illud præceſſiſſet; *Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum.* Nec Chriſti rogaret miſericordiam, flens amare, niſi illum Chriſtus prior ad miſericordiæ ſinum inuitaſſet: Sed nec pueruli iam mortui oculi potuiſſent aperiri, quibus Prophetam Eliſeum intueretur iam viuus, niſi ille prior ſuos pueruli oculis ſuperinclinaſſet: quod ille optime nouerat, qui nos hoc docuit; D. Ioannes: *Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Quotieſcumque de peccatis egredimur ad Deum, toties prior ad nos egreditur Dei præueniens miſericordia peccatores.

Luc.22.6.
4.Reg.4.
1.Ioan.4.

Verum enim vero & aliud hic interſucet myſterium: dum enim tam ſpecialiter notat Euangeliſta regionem, quam Chriſtus ingreditur ſcilicet Tyri & Sidonis; arbitror, voluiſſe ſignificare quod egreſſus hic fuerit, veluti Principis cuiuſdam egreſſus in venationem. Tenet conſuetudo inter Principes, dum nimis fatigantur, aut ob ſubditi alicuius impudens facinus exaſperantur, quærere diuerticula moleſtiarum, egredi venatum, vt animalium ferocium captura, ſtomachantem dolorem poſſint temperare. Hoc opinor Chriſtus egit: Eum etenim Iudæi grauiter ſuis fraudibus, & diabolica nequitia, vt heri diximus, irritarunt: eos deſerit, egreditur venatum, hoc enim ſignificat Sidon. Erat autem Sidon ciuitas Phœniciæ, quam extruxit Sidon filius Chanaan, & ſignificat *Venationem.*

II. Chriſtus venatori comparatur.

Egreditur Chriſtus in Sidonem, quaſi dicat, egreditur ad venationem per deſerta Gentilitatis. Quinimo & modo, actus fuit ſuæ diuinæ prouidentiæ, quo permiſit diabolum domum ingredi huius mulieris, ad hoc vt eam compellat egredi feſtinato, & in manus incidat Chriſti venatoris. Nihil iucundius, acceptius nihil in venatione, quam dum conſtricta ab accipitris ardea ſe vltro tradit manibus venatoris: quando falcone perterrita perdix, ſubſidium quærit ab eo, qui eam inſectatur: Studet alter, vt cuniculus, quem viuario ſuo incluſum alit, egrediatur, & ſe manibus vltro tradat capiendum, impellit per hanc partem viuerram, quæ cuniculi ſubintrat mandram, quem vnguibus impetit & vexat inquieta, quo eum ad egreſſum compellit, vt manibus tradatur venatoris.

Venatum egreditur cœlorum Princeps Chriſtus, appetit, vt cuniculus qui infidelitatis mandra deliteſcit, egrediatur ſibi in occurſum: per hanc partem impellit viuerram, dæmonem, rapacibus unguibus terribilem, qui filiam mulieris diſcerpat, dilaniet, excruciet. Ecce quam velox mandra egrediatur, & ſe Chriſti tradat manibus capiendam. *Ecce mulier Chananæa, de finibus illis egreſſa clamabat ad Dominum.* Hic liquido conſtat, quid Dominus voluerit, dum locum dedit diabolo, introeundi eius domum, filiamque cruciandi: Hoc quoque prætendit, quando tibi hærenti intra mandram ſcelerum tuorum, concubinatus; vſuræ, odii, rancoris, immittit Deus infirmitatem, quæ te aggrediatur, male torqueat: febrim, quæ te ad extrema deducat inexſpectato: coxendicem, quæ tibi mortales adferat anxietates, tribulationem, qualem numquam ſuſpicabaris. Hoc ipſe Deus intimabat (teſte Diuus Hieronym.) quando, vt animam peccatricem venaretur, aiebat. *Sepiam viam tuam ſpinis.* Et dum velut populi querelæ reſpondens, cur illos premeret calamitatibus, dicebat Vati Oſeæ; *In tribulatione ſua mane conſurgent, & dicent: Venite, aſcendamus ad Dominum* Dum ſe tribulationibus dolent conteri, aſcendent ad me. Quam celer accurris ad Confeſſarium, quando te dolor acutus conſtringit? Et quam ſolicitus mittendi ad talem vel talem Eccleſiam, vt ad tuam dicant miſſas intentionem? Quæ non propoſita, peccata deſerendi, Deo ſeruiendi?

In c.2. Oſeæ. Oſe. 2.6.
Oſe.6.1.

Expendit D. Baſil. duo fuiſſe ſtultorum genera: quidam enim aſſerebant, nullum eſſe Deum in hoc mundo cum tot calamitatibus repleatur; Alii tenebant, quod ſi ſit aliquis, eum eſſe crudelem, dolores & cruciatus his & illis immittentem. Plane indigent elleboro, ait Diuus Baſil. Ipſe eſt in mundo. *Non longe eſt ab unoquoque noſtrum; in ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus.* ait alter Poeta, relatus a Diuo Paulo, & ipſe eſt, qui nos his affligit anguſtiis, quas inceſſanter patimur: & nos per Prophetam Amos inſtruit: *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Ipſe eſt, qui febres, qui podagras, qui iſchiades, qui famem, qui peſtem immittit, nec quidquam contingit, ipſo aut

Hom. 9. *Quod Deus auctor malorum non ſit.*
III. Duo genera ſtultorum.
Act.1.28.
Amo.3.6.

ſo aut non faciente, aut non permittente, idque prudentiſſima diſpoſitione, verumtamen non in noſtram perditionem, ſed in bonum noſtrum in noſtrum emolumentum.

Perdocta ſunt hæc Vatis Regii verba. *Vi-*
12 *des, quoniam tu laborem, & dolorem conſide-*
Psal.9 34. *ras, ut tradas eos in manus tuas.* His conſo-
nant eiuſdem Vatis alia verba: *In chamo, &*
Psal.31 9. *fræno maxillas eorum conſtringe, qui non appro-*
*ximant ad te.* Iniice illis chamum quod ſi non ſufficiat, adhibe frænum durum quo illos ad te adducas etiam reluctantes. Ambulat equus ſolutus, iniice illi chamum, eo non redditur domeſticus non mitigatur, nec te trahentem ſequitur, ſuperadde frænum, quod ei maxillas fortius conſtringat, hoc indubie pro voto illum deduces quocumque lubuerit.
D. Av. Pſalm. 55.8. Accommode declarat Diuus Auguſtinus. *In ira populos deduces*, ita ipſe legit; quod nos *confringes.* Quod deducet malas intentiones, mores refractarios oſtendens ſe commotum.

IV. Aduerſitates cogũt ad Deum.

Exod. 39.3. Præmonet Deus Moyſen, vt incidat bracteas aureas, & extenuet eas in fila, vt poſſint torqueri cum priorum colorum ſubtegmine, vitta hyacinthina quod & fecit. Verumtamen priuſquam illis conſutæ ſuperhumeralis necterentur iuncturæ, & in fila extenuarentur, multos paſſæ ſunt ictus malleorum. Vt autem peccatoris filum ſit aureum, aut ſericum, ut Deum clare cognoſcat, vt ei ſit amicitia familiaris, neceſſe eſt, pluribus tribulationibus, multo pœnitentiæ verbere extenuetur, & cordis eius durities mitigetur. Domine Deus progrederis laborem & dolorem conſiderans, vt tradas eos in manus tuas. Videt te Deus a conſpectu ſuo fugientem vitiis & ſceleribus tuis, & nullum aliud eſſe, quo reuertaris, medium, quam labores, & calamitates & illas duriores.

Idem iterum expoſuit per Hieremiam, animæ loquens, quam volebat (vt ita dicamus) ut ſe ſuis manibus traderet. *Curſor leuis expli-*
Hier.2.23 *cans vias ſuas.* O quam te plango, qui veluti curſor leuiſſimus tuas percurris nequitiæ & ſtultitiæ ſemitas; quo non feſtino pede tuis ad omnem impudicitiam, vindictam, gulam? quam celer non properas ad vſuras, contractus iniquos? quam non propere præcipitas in illud, quod tibi aut emolumento aut ſenſualitati fore perſuades? *Domine* quid remedii? Illud ipſum, quo venatores vtuntur ad capiendum Onagrum. *Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui: nullus auertet eum; omnes qui quærunt eum, non deficient, in menſtruis inuenient eum.* Loquitur, ex opinione Vatabli de aſina ſylueſtri. Leuiſſima eſt, quando per deſerta diſcurrit; cuius ratio eſt; quia nullo negotio reſpirat, & ventum attrahit quantumlibet. Inde oritur in currendo tibi difficultas, eo quod tibi deficiat halitus, & qui pectus habent occluſum, & aſthmate oppreſſum magis adhuc laborant. Nullam vero patitur aſina ſylueſtris difficultatem. *In deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum.* Reſpirat quomodo, & quantumlibet, proinde currit adeo celeriter, vt non ſit qui eam detineat, aut aſſequatur. *Nullus auertet eam.* Quocirca venatores, qui ei inſidiantur, nec ſe fatigant, nec eam currentem inſectantur. *Omnes qui quærunt eam non deficient.* Attamen attendunt mature, dum prægnans ſit, & partui vicina, eo quippe tempore extremos patitur cruciatus, quibus, vt agnellus, mitigatur, quinimo partus doloribus oppreſſa, quaſi auxilium rogatura ſponte ſua, ſe manibus tradit venatorum. *In menſtruis inuenient eam.* O anima deploranda, quæ tam velox tua percurris diuerticula, inuia, deſerta. *Curſor leuis explicans vias ſuas.* Quam te explicas, & percurris vias perditionis? quam celer in tuis affectibus? quam propero greſſu ad diabolicas vltiones? quis te detineat tuis ambitionibus inhiantem? Quis ſiſtat currentem, alienam mulierem inſequentem, mundi honores venantem, lucris tuis perituris inſudantem? Nec vox altiſona prædicatoris, nec ignis æterni veridica propoſitio, nec vitæ breuitatis obiectio, quæ finem accipiet, dum de fine minus cogitas, nec diſcriminum, quibus exponeris vaticinium, nec vanitatis eorum, ad quæ adſpiras, inſtructio: nec malleorum ictus, quibus tuam inceſſanter Deus percutit conſcientiam, & cor tuum continuo pulſu correctionis inquietat. Quid remedii? Adeſte partus dolores, anguſtiis, & calamitatibus te Deus fatiget: coxendix te crucietur, fibris aduerat, his tibi intendatur, quæ te excitet: nauis tibi ſubmergatur, cuius diuitias inhiabas: amicus tibi integerrimus moriatur tuæ ſpei baculus; filiolus, lumen oculorum tuorum tendat ad occaſum: infirmetur filia tuæ mœſtitiæ ſolamen.

Quam cito mitigaris, conquieſcis? vt agnellus, ſpontaneus ad Dei manus recurris, illis te tradis, illis te committis, illi iuras, quod obſequeris, ſeruus eris amodo fidelior. 13

Quot

Quot voces ingeminas, quoties illi pſalmum decantas: *Miſerere mei Domine, fili Dauid, miſerere mei?* In hunc finem labores immittit Deus & cruciatus; vt hoc modo nos ad ſe ſupplices venire compellat, ſubſidium, ſuaque dona poſtulantes. (*Orig. Hom. 3. Exod.* *Exo. 5. 2*) Expendit Origen. reſponſum Pharaonis datum Moyſi, Aaroni & Senioribus Iſrael. *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem eius & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* An dari poteſt impudentior, ſtultiorque reſponſio? Non miremur, de eorum grege eſt, de quibus poſtmodum Dauid: *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus &c. Ideo tenuit eos ſuperbia. Denique videbis eum* (inquit Origen.) *paulo poſt quantum proficit in flagellis, quanto melior verberatus efficitur. Iſte qui modo dicit: Neſcio Dominum, poſtea cum vim ſenſerit verberum, dicturus eſt; Orate pro me Dominum, & non ſolum hoc, ſed etiam conteſtantibus Magis fatebitur; quia digitus Dei eſt in virtute ſignorum. Nemo ergo credat, verbera Domini pœnalem eſſe interitum, aut perniciem.* (*Pſal. 72. 5.*) Senſum hunc imitatus eſt D. Auguſt. cui addit probans flagelli robur, quo Deus agnoſcitur, hoc idem declarans de diabolo, per Pharaonem deſignatum. (*D. Aug. ſer. 90. de tem. D. 10.*) *Audi quid reſpondet Princeps mundi huius. Neſcio Dominum. Sed vide in Euangelio; quomodo verberatus emendet hanc vocem. Scriptum eſt enim; quia clamauerunt dæmones ad Dominum, & dixerunt; Quid veniſti ante tempus torquere nos? Scimus te, qui ſis, tu es filius Dei viui. Vbi tormenta ſenſerunt, ſciunt Dominum. Ante flagella dicit; Neſcio Dominum & Iſrael non dimittam ſed poſtea Iſrael dimittit & non ſolum dimittit, ſed ipſe per vrgebat eum exire.* (*Exod. 8.*) Quando ranis puniebatur: *Orate Dominum.* (*Exod. 9. 27.*) Cur modo non ais? *Neſcio Dominum?* quando lapidibus & grandine obruebatur, ait: *Peccaui & nunc Dominus iuſtus, & ego & populus meus impii.* (*Exod. 10. 16.*) Dum locuſtæ cuncta corrodunt & deuaſtant, clamat, *Peccaui.* (*Exod. 8. 11.*) Ea vero hora, qua Deus flagellum continebat, & ille quoque Deum non nouerat. (*9. 34. in Exod.*) *Videns Pharao, quod data eſſet requies ingrauauit cor ſuum.* Quod notat D. Aug. Iterum quando grandinis plaga ceſſauit Noueris autem (inquit Dauid) Deum cœco impetu flagellis cædere neminem. (*Pſalm. 32. 4.*) *Tu laborem & dolorem conſideras, vt tradas eos in manus tuas.*

(*V. Similitudo de venatore.*) Sagax ferarum venator, non iiſdem ad feras capiendas vtitur mediis; ſed attendit & explorat, quid cuique conueniat, ad hoc autem alit falcones, accipitres, canes venaticos; moloſſos, leporarios, ſagaces, catellos ad capiendum quippe perdicem hi ſufficiunt ſcilicet: niſus, ſmeriglius: ad leporem vero ſectandum conducunt canes venatici leporarii: ſed ad aprum comprehendendum, neceſſarius eſt canis ſagax & moloſſus: & ad ardeam, quæ altiora petit, non ſufficit falco ordinarius, ſicut nec ad aquilam, vnguibus enim ſuis ac roſtro ſe acriter defendit, ſed requiruntur accipitres, ac milui; qui ſe eo vſque attollant, vt oculos fugiant, & adeo fortes vngues ardeæ iniiciant, vt eam deiiciant elationem, & ſuperent eius fortitudinem. Eſt Deus ſagax animarum Venator: non vna omnes capit calamitate; quibuſdam enim ſufficit catellus, febricula, minimus dolor, quem cum percipiunt, ilico ſe componunt, & ad Deum recurrunt. Sunt autem aliæ, quæ eo vſque ſe ſuis in altum attollunt præſumptionibus, ac temeritatibus vt requirantur Aquilæ leporariæ quæ oculos fugiant, & adeo rapaces ac feræ, vt nihil illis reſiſtat: calamitates, infirmitates quibus nullum ſupereſt remedium, nec medicorum oculus expertiſſimus, nec medicinæ præſentiſſimæ, & ex India conquiſitæ, nec fomenta electiſſima, & a cunctis approbata, Conquereris.

O Donine, quantus me premit dolor? heu quæ me grauat infirmitas, quanta exæſtuo febri? quam ſæua me terret perſecutio? quam me concitat labor non tolerabilis? Cum fueris aper ſylueſter, nequitiis tuis obduratus; cœno luxuriæ tuæ inuolutus, ut te nullius illis potuerit extrahere ſemper renitentem: quid minus quam tales tibi debuit Deus immittere moloſſos, feras rapaciſſimas? Illæ ad te conducunt capiendum quinimo & aliquando neceſſe eſt vt ipſe te diabolus excruciet alioquin non emendandum. Ita D. Paulus, vt hominem luxurioſum feram ſingularem Corinthi, totius populi Chriſtiani ſcandalo commorantem caperet, dum illi nullum profuit remedium, moloſſum excitat adeo ferocem, qualem tu credis dæmonem: *Tradere huiuſmodi Satanæ, in interitum carnis.* (*1. Cor. 5. 5*) Vt eum corpore diſcruciaret, laniaret, & infinitis mortis periculis obiiceret recalcitrantem: ad quid hæc laniena? *Vt ſpiritu ſaluus fiat.* Hoc quoque Dominus agit cum muliere hæc Chananæa: Erat autem maledicta idololatra: aper indomitus; vult eam inſectari, non in illam conuenit minores aues adigere quam ipſum diabolum, qui domum eius inuadat, & illud arripiat, quod matri eſt chariſſimum, nimirum filiam ſuam inuadat, exagitet, diſcruciet tam inhumanus vt ipſa tribulationi cedens, vltro ſe manibus tradat venatoris: Cerne

venientem. *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa.*

### §. 5. Egreſſa: *Ad faciendam orationem egredere de peccato: quia etiam alienum peccatum impedit orantem Moyſen. Cur ſtantes oremus.*

14 CVm igitur dixerimus, mulierem hanc omnium virtutum nobis proponi exemplar, nominatim tamen eam nobis depingit D. Lucas orationis emblema, qua cum Deo negotiamur, quocirca de ea ſic ait: *Ecce mulier Chananæa*: q. d. Intuere mulierem negotiatricem, videamus quid agat, vt ex illa proficiamus. *A finibus illis egreſſa*: Maledictis egreditur ciuitatibus Tyro & Sidone, eiuſque finibus: qua phraſi communiter declaratur, quod egreſſa ſit ex peccato & omnibus occaſionibus ei conterminis: vt enim dextrè cum Deo negotieris, hoc tibi præ cæteris incumbit faciendum. Notat Rupertus illud quando Deus populo manna promiſit de cælo, voluit, vt ad illud colligendum valde mane foras egrederentur.
Exo. 16. 4. *Ecce ego pluam vobis panes de cælo: egrediatur populus vt colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies.* Heri conſiderauimus, quam ſine vllo dubio nequam illi Phariſæorum oratores infauſtum reſponſum à Chriſto Domino eſſent relaturi: quia peccatores acceſſerant, & recentis adhuc in Chriſtum blaſphemiæ, & grauis iniuriæ rei ſigna petierant; idcirco dicebamus, primum omnium fundamentum vt felicem fauſtamque referamus expeditionem, illud eſſe, vt de peccatis egrediamur, eiuſque occaſionibus valedicamus. Diligenter expendenda ſunt verba Da-
Pſ. 65. 18 uidis; qui huius rei valde gnarus erat: *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Vt huius dicti energiam intelligamus, con-
In 4. Reg. c. 5. uenit notare doctrinam Cardinalis Caietani: ſcilicet quod Deus adeo peccatum exhorreat, vt aliquoties Sanctis petita non concedat, quia ſocietati peccatorum immiſcentur, & hoc juxta
D. Amb. illud D. Ambroſ. *Qui ſuis meritis eſt firmus, turbatur alienis.*

15 Hinc patet illa tam anxia Moyſi & Aaroni in Ægypto propoſita cautio: nimirum, quando ſe ad orationem præparabant, vt beneficium aliquod à Deo conſequerentur, palatio Pharaonis excedebant, & incantatorum egrediebantur ſocietate. Rogat illos Pharao, à Deo impetrent, vt releuet manum ſuam, tollatque muſcas ac cyniphes, quæ & ipſum Regem eiuſque populum infeſtabant. Reſpondet Moyſes: Perplacet, attamen expedit me de conſpectu tuo diſcedere rogaturum, & Dei gratiam obtenturum: *Egreſſus à te orabo Dominum, & recedet* Ex. 8. 29.
*muſca à te, & à ſeruis tuis, & à populo tuo.* An ergo, Moyſes, conuenientius non fuiſſet, ſi præſente Pharaone preces tuas Domino fudiſſes plagam hanc auerſurus; quo Pharaoni & omnibus magis explorata foret, & tuæ poteſtas ſanctitatis, & ſanctitas poteſtatis? Abſit, omnimodo enim è re noſtra eſt, vt illis relictis foras Ex. c. 9. 29
ſecedamus, vt id quod petimus impetremus. *Egreſſuſque Moyſes à Pharaone orauit Dominum, qui fecit juxta verbum illius.* Ita quoque dum Deus Ægyptum conterit grandine, lapidibus, fulgure tonitru, ſupplicat Pharao Moyſi. *Orate Dominum vt deſinant tonitrua Dei, & grando &c.* Cui Moyſes, faciam, orabo Dominum, verumtamen hoc tum fiet: *Cum egreſſus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & ceſſabunt tonitrua &c.* Quid quæſo tibi obſtat Pharaonis præſentia, quominus Deum roges, & petita conſequaris? Multum quidem per omnem modum; quod enim Deus mihi meo concederet merito, negaret hoſtis ſui demerito, ſi coram eo Deum deprecarer.

Hoc autem erat (dicente Caietano) id quod Eliſeus intendebat, quando in mulieris viduæ ſubſidium ei mandat, vt mutuo petat à vicinis vaſa vacua non pauca oleo implenda, quod in eius lecytho multiplicaretur: vt autem hoc fiat 4. Reg. 4. 5
prodigium, ex Vatis præcepto, *Clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper filios ſuos.* Sic enim ei præceperat: *Ingredere, & claude oſtium, cum intrinſecus fueris tu & filij tui.* Quid, reſponde mihi damni, quid impedimenti, ſi & alii eiuſdem vrbis ciues cum iis fuiſſent intrinſecus? Erant infideles: timebat autem propheta, ne eorum incredulitas fluxum olei miraculoſum retardaret. Caiet.
*Ne demerita alicuius impedirent executionem miraculi ſolam religioſam matrem cum filiis rectè inſtructis mandat adeſſe miraculo.* Quid ergo, num forſitan aliorum peccata curſum impedirent olei precibus ſancti prophetæ, & deſiderio matris viduæ conſecutum? Tu dicis: aliquoties enim nos docet Sacra Scriptura, quod Deus in gratiam ſui faceret ſerui, ſupplicantis, negat concedere, ob alicuius demerita, criminaque De quo
peccatoris. Surius

Obſtupeſco referens, quod apud Simonem Tom. 1.
Metaphraſten legimus, contigiſſe mari illi om- 27. Janu.
nis ſapientiæ & ſanctitatis D. Chryſoſtomo p. 671.
Pontifici,

I. Exemplum. Pontifici. Licet hic ſanctus omnia ſumma pietate, ſummoque ſpiritu perageret, particulari tamen ſemper deuotionis affectu miſſam celebrabar, quo fiebat, vt ſæpe ſæpius anima eius diuinis & conſolationibus & viſionibus recrearetur. Quodam vero die dum ſingulari S. Spiritus feruore ſurſum ageretur in Deum, ecce ſubito, *Depulſa fuit viſio S. Spiritus*. Ingemiſcit Chryſoſtomus, reatum ſuum culpamque reformidans at illi Deus reuelat, non ob vllam ſuam culpam, at ſacellani ſui, inter alios altari ſeruientis retractum fuiſſe S. Spiritus influxum, qui vtiq; curioſo nimis oculo in mulieris ibidem vicinæ orantis faciem intendiſſet. Ilico mandat D. Chryſoſtomus Sacellano ocyus diſcedat, quo egreſſo ad Dominum conuertitur, & optata beneficia ſibi concedi poſſe deprecatur. O quæ hic non conſideranda! Attendite primo ſacerdotes, qua mentis puritate ſacris adſtandum ſit altaribus, ſi Diuinorum myſteriorum velimus gaudere conſolationibus. Et vos, attendite, o mulieres, qua corporis honeſtate templum adeatis, ob hoc enim, vobis præcipit Apoſtolus in eo eſſe velatas: quinimo ea de cauſa ſtatuit D. Chryſoſt. vt poſt hac fierent cancelli, quibus mulieres à ſacerdotibus ſecluderentur, ne promiſcue ac libere viderentur. Demum hoc quoque notate peccatum illius, qui proximus adſtabat altari priuaſſe talem Dei ſeruum cæleſti S. Spiritus conſolatione, qua eum Deus frequenter viſitabat, nec rediit, donec impurus ille procul pelleretur. Si igitur peccata, quibus alius inquinabatur, orationis tuæ poſſint impedire fructum ac finem, quem vt obtineant ſancti, ſocietatem deſerunt peccatorum, procul ab eis recedentes: quæ non diuinæ miſericordiæ ponent obſtacula tuæ propria mentis inquinamenta? quomodo non ſuſpendent Dei beneficia tua luxuria, perjuria tua, rapinæ tuæ, tuum odium proprium, quo Deum tuum grauiter offendiſti, vindictam irritaſti, miſericordiam demeruiſti. Primum egredere peccato, animam tuam ſceleribus expurga, tuam Deo conformem offer voluntatem: jam enim noſti quid ſcriptum ſit: *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet*. Huc reuocatur illa ſancti Spiritus ſententia. *Omni vita tua dilige Deum, & inuoca eum in ſalute tua*. Quam bene ad rem noſtram expendit auctor grauis Ianſenius. Num aliquid à Deo pro vtriuſq; hominis tui flagitas incolumitate? primum compone te ipſum ad ſtatum gratiæ, quod ſi à peccato fueris immunis, tua exaudietur oratio Suauiloquo lepore dixit olim ſponſæ

*Pſ. 144. 19. Eccl. c. 13. 18.*

ſponſus cœleſti. *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* q. d. *Cant. c. 2. 14.* Amica mea, dilectiſſima, ſonet vox tua in auribus meis: nihil enim mihi auditu ſuauius, quàm vox tua; eo quod ſit facies tua decora nimis: quæ (quæſo) conuenientia voci ad faciem? Num forſan vocis dulcedo ex faciei naſcitur venuſtate? Reſpectu Dei, naſcitur: nulla ei magis placet muſica quàm quæ Sanctorum vocibus intonatur, quando ad eius pietatis oſtium concinunt mendicantes, vt dicemus. Attamen hoc ſcito, quod tota vocis huius dulcedo ex faciei venuſtate proueniat. Animæ facies eſt conſcientia de qua Chriſtus: *Faciem tuam laua.* *Matth. c. 6. 17.* Anima quæ faciem hanc lachrimarum ac pœnitentiæ lauat profluuio, & ſingultibus purgat amarioribus, ſonet vox eius in auribus Dei, roget quidquid voluerit: Etenim aſſerit D. Ioan. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* *Ioan. c. 1. 23.*

Hinc elicit Diuus Auguſtinus rationem huius tam ſolemnis Sacræ Scripturæ ceremoniæ, quæ dicit, vt orantes, ſtent. *Volo* (dicit Apoſtolus) *Viros ſtantes orare.* Idque tam familiare reperitur Sacræ Scripturæ phraſi, vt conuertantur ſtare, & orare: *Serui Domini, qui ſtatis in domo Domini. &c. Stetit Phinees & placauit*: Eo ſitu corporis orant Sacerdotes vides enim eos ſemper ſtantes orare, quinimo & ipſe Phariſæus in templo, *Stans orabat*: Erat autem hæc conſuetudo: *Stantes orabant*: Nec in hoc errabant. An ergo, conuenientius non eſſet in terra coram Deo proſtratum orare, vt dicat cum Abraham: *Loquar ad Dominum, cum ſim puluis & cinis* Et ſicut Chriſtus in horto, *Qui procidit in faciem ſuam*? Nemo dubitat, quin & ille corporis ſitus congruus ſit ſuis in occaſionibus: alter vero frequens eſt (ait Diuus Auguſtinus) quo ſignificatur, qua diſpoſitione qui orat, ſe debeat præparare, ſtare quippe ſignificat, ſurgere à peccato, non vero in illud cadere, Chriſtum à mortuis reſurgentem imitari, *Qui ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum*: Sicut enim Chriſtus à mortuis reuiuiſcens, jam de ſepulcro egrediebatur, mortem vincebat, & quæ mortis erant reliquit omnia, ſudarium, linteum, inſtitas, & his omnibus liber egreſſus eſt in nouam Deo vitam, quam re ipſa demonſtrauit, *Dum ſtetit in medio*; ita quoque ſibi præſuadeat ille qui orat, vt eius oratio ad votum exaudiatur, quod ſibi neceſſe ſit de ſepulchro peccati fuiſſe jam egreſſum, culpæ mortem conculcaſſe, cunctaq; quæ ad peccatum implicant deſeruiſſe,

*Epiſt. 119. de morib. Eccl. c. 11. 1. Ad Tim c. 2. 8. Pſ. 13. 41. Pſ. 105. 30. Luc. 18. 11. Matt. 6. 5 Gen. c. 18. 27. Matt. 26. 34. Ioan. 20. 19.*

Chriſtum

Ch iſtum imitetur, monentem audiat Apoſtolum: *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi vltra, &c. Sic & vos &c. in nouitate*
Ro. c. 6. *vitæ ambulemus.* Egredere de peccato, & de omnibus finibus eius, exſurge, & tum tua erit oratio conueniens; ſic teſtatur amicus Iob: *Longè*
Iob. 22. 23 *facies iniquitatem à tabernaculo tuo &c. Tunc eleuabis ad Deum faciem tuam, rogabis eum & exaudiet te &c.* De quibus heri.

Vt autem clarius nobis exponat, quam omnibus numeris abſoluta fuerit oratio Chananææ, vt nulla illi defuerit circumſtantia addit, *Clamabat.* Adeſt Diuus Ambroſius declarans verba
D. Am Tom. 2. In Pſ. 118. 145. Regis Dauid: *Clamaui in toto corde meo &c.* O bona oratio, nulla melior. *Clamaui in toto corde meo.* Proſequitur deinde hiſtoriam Moyſis. Proſequitur ac inſequitur Pharao toto mentis furore Iſraelitas Ægypto excedentes, qui inter binos coarctati montes exercitu preſſi Pharaonis, qui eos pone inſectabantur, & maris fluctibus, quod ſe progredientibus opponeret, tranſitumque denegaret: conqueruntur, vociferantur. *Cum appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſrael oculos, viderunt Ægyptios poſt ſe: & timuerunt*
Exod. 14. 10. *valde, clamaueruntque ad Dominum inſtabat Pharao, & innumeris Ægyptiorum ſtipa iis curribus vrgebat Hebræos. Hinc circumfuſis hoſtibus, inde interfuſum mare plebem Dei clauſerat. Nulla in armis fiducia, ſpes nulla in viribus. Superbat tantummodo querela miſerabilis, quod commodius ſibi foret dura in Ægypto ſeruitutis onera ſubire, quàm acerba in deſerto morte conſumi: querela nihil præſidij ferens, plurimum offenſæ afferens. Stabat ergo Moyſes mœſtus ſolicitus, anxius populi & periculi & querelis, expectans fidem cæleſtium promiſſorum: & tacitus ſecum ipſe voluebat qua tandem Dominus ope, iniuriæ immemor, memor gratiæ, ſubueniret. Dicit ad eum Dominus Quid clamas ad me? Sonum eius non audio, vocem eius agnoſco, ſilentium eius agnoſco, clamorem eius in operibus deprehendo. Clamabat populus, & non audiebatur: tacebat Moyſes, & audiebatur. Non populo dictum eſt, Quid clamas ad me? Non enim ad Deum clamabat populus, qui iniuſta & iuris indigna clamabat ſed Moyſi dictum, quid clamas ad me? hoc eſt: Tu ſolus ad me clamas, qui de me ſperas, tu ſolus ad me clamas, qui virtutem meam excitas. Tu ſolus ad me clamas, qui per vniuerſam terram annuntiari meum nomen expectas. Clamabat ergo Moyſes in corde ſuo, & omnis ſapiens in corde ſuo clamat. Denique ſapientia cum altiſſima prædicatione conuocat ad craterem dicens: Relinquite inſipientiam, & quærite ſapientiam. Magna ſublimitatis, magnæ vocis hæc prædicatio eſt; qua ſtultis ſapientiam pollicetur. Et Ieſus Dominus clamabat. Si quis ſitit veniat ad me, & bibat. Et*
*voce verè magna clamabat, qui vocabat homines ad regnum cælorum ad illum venerabilem potum quo vitæ æternæ fluctus infunditur. Et tu cùm oras, magna ora: id eſt, ea ora quæ æterna ſunt, non caduca. Ora quæ diuina ſunt atque cæleſtia, vt ſis ſicut Angeli in cælo Noli orare pro pecunia quia ærugo eſt noli pro auro, quia metallum eſt: noli pro poſſeſſione, quia terra eſt. Iſta oratio ad Deum non peruenit, Non audit Deus niſi quod dignum ſuis ducit eſſe beneficiis, ſed audit piam vocem plenam deuotionis & gratiæ. Non ſolum ergo clamandum in corde, ſed etiam in toto corde clamandum eſt. Sicut enim corporaliter tunc bene clamatur, ita ſpiritualiter toto eſt clamandum corde ſi volumus magna deferre, & à Domino quæ poſcimus impetrari. Hanc Dominus vocem exigebat à populo, quam populus neſciebat. Ideoque dixit Dominus: Populus hic labiis me honorat, cor autem longè eſt à me. Qui ergo appropinquauerit corde, ipſe auditur à Domino. Cor ergo prius clamet, vt ſermo poſſit audiri.* Idem notat D. Aug. In Pſ. 118. & D. Hier. addens multa In Pſ. 5. D. Chr. de Cha. D. Gre. Nyſſen. D. Gre. Mag. apud Lipo. Exod. 14. 109.

### §. 6. Miſerere. *Hinc optime inchoatur oratio, & non ſicut Pelagius docet, nec vult Deus virga verbera.*

AVdiamus hanc mulierem perorantem, vt ex ore eius verba ſumamus, ore noſtro expromenda *Miſerere mei Domine fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Hæc oratio pluribus latet myſteriis, quàm verbis, quàm ſyllabis, imo quàm litteris. Quàm congruum principium, *Miſerere*: Num per vnum *Miſerere mei* exordiris? concludas, *Acceptabis ſacrificium juſtitiæ, &c.* Inſipientes oratores heſterni, quorum ſunt primordia: *Volumus*, verbum ſuperbum quaſi id quod petunt, illis ex juſtitia deberetur. Hincne ſummis initium? *Signum non dabitur ei*: Scripſit D. Hieron. tres libros contra Pelagium Hæreſiarcham, quibus omnes eius refu- D. Hier. Lib. 3. contra Pelag. pag. 251. Tom.
cat errores: ridet modum quendam orandi, quem ille docebat, vbi clariſſimè demonſtrat, quàm parum ipſe ſciat, quid ſit oratio. Refert igitur, quod Pelagius à nobili quadam vidua requiſitus, vt eam de oratione ritè inſtrueret, illi reſcripſerit, ad orationem primo requiri, vt quis coram Deo ſuorum longiſſimum texat catalogum meritorum: ſua enarret jejunia, eleemoſynas, legis Dei obſeruationem, his innixus oret, dicat. Tu noſti Domine, quod te mihi deuinxerim, & ratio ſuadeat juſtiſſima, vt cuique

quod

quod ſuum eſt, tribuatur: Memento, quod hoc & illud fecerim opus in tui nominis dignitatem quodque hoc & illud præceptum obediens ſeruauerim. *Tu noſti Domine, quàm ſanctæ, quàm innocentes, quàm puræ ſint ab omni fraude, & iniuria & rapina, quas ad te extendo manus, quàm iuſta, quàm immaculata labia, & ab omni mendacio libera, quibus tibi vt miſerearis orationes, preces fundo.* O rationis impotens, ait D. Hier. *Chriſtiani eſt hæc, an Phariſæi ſuperbientis oratio? qui etiam in Euangelio loquebatur: Gratias tibi ago Domine: quia non ſum ſicut cæteri hominum, &c.* O Stultorum ſtultiſſime neſcis, quàm fuerit diuerſus modus orandi Danielis Prophetæ, cuius orationis hoc fuit exordium: *Peccauimus Domine, iniuſte egimus, &c. nobis confuſio &c. Miſerere. &c.* neſcis, prorſus ignoras Spiritus S. regulam: *Iuſtus in principio orationis accuſator eſt ſui.*

Luc. 18.

Dan. 9. 5.

Prou. c. 18. 17.

Non ſine magna ratione (teſte D. Cyril. Alexandrin.) Præcepit Deus, dum columbas, vel turtures offerrent, eius conſpectui ſacrificandas, vt prius eis alas confringerent. Nihil tibi adſcribas præſumptuoſus, nec in altum alas attollas, nec ſuperbus in oratione coram Deo, ex bonis tuis operibus intumeſcas, quin potius humilis proſternere, Diuinam inuoca miſericordiam, ſcelera tua reuoca in memoriam, quæ te omnis gratiæ teſtantur indignum. Magnum latet in petra, quæ fluenta Iudæis miniſtrauit, myſterium. Siti laborat populus inter arentia Arabiæ deſerta: accurrunt Moyſes & Aaron ad Dominum: quibus ille: accedite ad petram, quod ſi optetis aquam, ex illa, & per illam vobis eſt haurienda, de hoc vos volo præmonitos, vt nullo modo eam virga percutiatis: ſed tantummodo *Loquimini ad Petram.* Præceptum hoc transgreſſi, bis virga ſilicem percuſſerunt: vnde ita grauiter offenſus Dominus, numquam eis voluit hanc culpam dimittere impunitam: quinimo in eius pœnam Moyſen & Aaron vita priuauit, nec ingreſſum eis in terram conceſſit, ſæpius licet rogatus, promiſſionis. Ignoſcat nobis Deus, quid peccati commiſſum, in petræ percuſſione, vt aquas extorqueant, quod Deum ſic exacerbauit? Num forſan percutiendo petram, Domini oculos vlcerarunt?

Lib. 16. de adorat. in ſpiritu.

Num. c. 20. 8.

Exponit nobis Diuus Paulus petram hanc Chriſti fuiſſe figuram, *Petra autem erat Chriſtus.* A quo miſericordiæ & donorum omnium aquæ ſcaturiunt à quo ſunt hauriendæ. *Si quis ſitit veniat ad me. Venite ad me omnes qui laboratis. Ex ipſo, & per ipſum & in ipſo ſunt omnia.* Virga ſymbolum eſt iuſtitiæ, & ad hanc ſignificandam, Reges & Principes, quibus competit exercitium juſtitiæ, virgam manu geſtant. Vt à Chriſto donorum impetres aquas, hanc virgam caue ne applices, ne juſtitias tuas proferas in medium: hoc enim exordium nequaquam congruit orationi, ſed Dei tantummodo inuoca miſerationes, Ora cum Daniele *Nec enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.* Quàm longè aberrabat Phariſæus, qui ſe Deo jungebat collateralem, bonorum ſuorum operum fiducia tumens; offert Deo jeiunia ſua, ſuas eleemoſynas, in decimis ſoluendis juſtitiam. Inordinatè accedis, tibi polliceor, quod repulſam patieris. Humilis Publicanus ſtans à longè, qui ſe diuinis oculis judicat indignum, nihil præter miſerias, vt pauperes, qui à te flagitant eleemoſynam, Deo exponit, non præclara ſtemmata, non opes immenſas: ſed vulnera, ſed calamitates, ſed morbos, miſericordiarum aptiſſima obiecta, pectus percutit verbere repetito, vociferatur acclinis. *Deus propitius eſto mihi peccatori:* O quales hauſit miſericordiæ, & gratiarum aquas? *Deſcendit juſtificatus.*

1. Corint. c. 10. 4.

Ioan. c. 7. 37.

Matth. c. 11. 28.

Rom. c. 11. 36.

Dan. 9. 18.

Luc. c. 18.

Verbulum vnum poſuit S. Spiritus in hiſtoria Iacob. Quaſi impertinens, vt magni myſterii. Mortuo Abraham, Iſaac matrimonio inito, natiſque illi filiis Eſau & Iacob fames valida regionem oppreſſit: ſtatuit Iſaac diſcedere, replicat Deus, ne diſceſſeris, nihil tibi deerit, licet plurimi pereant: memini enim me patri tuo Abraham pollicitum, dare illi terram hanc & ſemini eius, tu vero principalis eris huius familiæ aquæductus. Quieſcit, igitur in Geraris regione Palæſtinorum, arida, & famis tempore. Accurrit Iſaac & præ cæteris laborat expurgare puteos, quos pater ſuus Abraham illis in montibus effoderat, nominatiſſimos: *Et puteum viuentis, & videntis: puteum juramenti.* Quibus eadem nomina impoſuit, quæ Abraham impoſuerat. Licet autem apti eſſent, nihilominus ſeruis ſuis præcipit, vt in valle profunda alios effodiant. *Hic pro valle torrens ſcriptus eſt.* (Inquit Diuus Hieronimus) *Foderuntque in torrente & repererunt aquam viuam* Apti ſunt montium putei, ſed ad aquæ viuæ ſcaturiginem fode in vallibus. Multas hauries aquas, ſi per opera bona fodias &c. at fode in valle tuarum miſeriarum defectuum, inopiæ, O quàm ſalutares, quàm abundantes aquæ profi-

Gen. 26. 21.

I. Sui ipſius miſeriarum cognitio.

proſiliunt : vtinam ſæpius ligone vallem hanc effoderes, tuarum calamitatum. Miſer ſum & miſerabilis, pauper & nudus omnium inops, primus peccatorum, *Miſerere mei &c.* Proinde Salomon ſapienter portas templi compegit de lignis oliuarum miſericordiæ ſignis, per hanc enim tibi intrandum, hinc orationis tuæ tibi ſit me primordium, cum Chananæa. *Miſerere.* Quo vero (explicat Orig.) ſic Chriſto ſuggerit, Domine, nihil mihi pretioſum tuis dignum conſpectibus, nec obſequia tanta, quibus niti oratio mea poſſe videatur. Nihil tantæ conueniens Maieſtati; ac proinde nihil horum offero, ad miſericordiæ ſinum recurro, hanc imploro, hanc ſumo mediatricem, *Miſerere.*

## §. 7. Mei. *Punit Deus parentes in filiis, & aliquando dæmonem ſuis appetunt filiabus.*

19 CVius, rogas ô mulier, Deus miſereatur? *Mei.* Quis opprimitur? quis damnum patitur? An non filia tua? tu ipſa fateris: *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* Cur ergo non te audio rogantem, Domine miſerere filiæ meæ? ſic alter inclamabat, ſimili neceſſitate obrutus, & filio ſuo lunatico afflictus pater: *Domine, miſerere filio meo.* Multa & vtilia ſe nobis hic offerunt conſideranda. Sit autem hoc primum, medium omnium efficaciſſimum, quo mulier preſſa Chriſtum accederet, & ad Diuinitatis Chriſti cognitionem traheretur, ſupplex rogaret miſericordiam, hoc vnicum fuit, filiam eius à dæmonio malè cruciari. *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* O quale remedium, vt peccatis egrediaris filium tuum apprehendi? Notatu digniſſima eſt hiſtoria Moyſi ac Pharaonis: inſtat, vrget eum Moyſes, vt dimittat populum, ingeminantur flagella, cæditur octauo, nimirum locuſtis? his quoque liberatur. *Et induratum eſt cor Pharaonis.* Succedit error tenebrarum, nec his terretur aut Dei cognoſcit potentiam, aut emollitur obduratus. Tandem aliquantulum conuictus, Diſcedite, inquit, vos & filii veſtri: iumenta vero remaneant. Nullatenus: hæc enim Deo noſtro in ſacrificium requiruntur, ad hoc enim tendimus: *Nec vngula remanebit:* ſtomachatur Pharao, ferox in hæc verba erumpit: *Recede à me, & caue ne vltra videas faciem meam, quocumque die apparueris mihi, morieris.* Cui Moyſes, *Ita fiet, ſicut locutus es, non videbo vltra faciem tuam.* Et addit illud ex capite 14. vt auctores declarant, tum enim illi Deus reuelauit, ac præcipit, ea diceret. &c. Hinc ego diſcedo: *Nec vltra videbo faciem tuam, &c.* Attamen hæc audi. *Hæc dicit Dominus: media nocte egrediar in Ægyptum* (Egreditur Dominus, quaſi de tuguriolis ſuis) *Et morietur omne primogenitum Ægypti; à primogenito Pharaonis, vſque ad primogenitum ancillæ &c. Deſcendentque omnes ſerui tui* (Illi qui tibi cordis ſuaſerunt obdurationem) *Et adorabunt me dicentes: Egredere tu, & omnis populus, qui ſubiectus eſt tibi, & exiuit à Pharaone iratus nimis.*

Matt. 17,14.

Exod. 8,10.

Exod. 10,26.

I. Pharao in filio emollitur.

Dicendo, quæretis me, rogabitis me, & adorabitis me; *Adorans.* In muliere Chananæa, quod & factum eſt quando luxerunt primogenitos ſuos occiſos. *Surrexit Pharao nocte, & omnes ſerui eius, cunctaque Ægyptus.* Accedunt feſtini Moyſen ac Aaron. Multi credunt ipſum Pharaonem, ac Principes eius acceſſiſſe: *Surgite & egredimini à populo meo vos, & filii Iſrael, & immolate Domino, ſicut dicitis. Oues veſtras & armenta aſſumite, vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi.* O quæ tragœdia? dexterè dimicaſti: Perpendunt aliqui verbum hoc. *Surgite*, erant enim Moyſes & Aaron quieſcentes, quos vrget vt à quiete ſurgant, Deo ſtatim ſuo ſacrificaturi: quis inſtituit, vt Pharao Rex adeo populum vrgeret ad Dei ſacrificia? clades primogenitorum.

Exod. c.11.5.

Exod. 12,30.

Nunc ſecundam rationem exploremus. Mulier hæc parentum ſuorum meminit, facinora recolit atauorum, è quibus addiſcit, quid ſibi ſit faciendum. O vos omnes, qui nobilium ſtemmate gloriamini, & ad quodlibet verbum, veſtras adducitis genealogias: ſi oculos veſtros ad anteceſſores veſtros reflecteretis, eorum laude digna facinora conſideraretis, acta nobiliora, pectoris eorum excellentiam, in Deum pietatem, in pauperes miſericordiam, honoris Dei zelum flagrantiſſimum, Eccleſias ædificantes, hoſpitalia cenſibus dotantes, Sacellanias inſtituentes, defendentes orphanos, viduis auxiliantes, fidem defendentes, virtutem magnifacientes, vtinam illi veſtrorum ſtudiorum eſſent ſcholæ, eorumq; quæ vobis conueniunt facienda. Reuoluit hæc mulier ſuorum genealogiam, & priorum acta proauorum, & in eorum ſtatim inuenit principio, quod pœna quæ filiis infligitur, ob parentum culpam infligatur.

Liquet omnibus actus ille impudentiſſimus, quo Cham patrem ſuum Noe turpiter dedecorauit. Voluit eum Noe pro meritis caſtigare, & ait: *Maledictus Chanaam.* Erat autem Chanaam filius Cham. Quis peccauit? Cham. Quem Gen. 9,25



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

punivit? Chanaam eius filium: hæc enim diuina gerebantur prouidentia, vt filius ob parentis peccatum plecteretur. Hæc vero eſt ratio quam expendunt D.Ambroſ. & D.Chryſoſtom.

L. de Noe & Arca cap. 32. Tom. 1. Hom. 29. in Gen. Voluit enim Deus tale inferre ſupplicium, quod cordis intima lancinaret: & communiter magis parentem affligit pœna qua filius plectitur, quam ſi eam proprio corpore pateretur. *Patres ſæpe orant*, (inquit D.Chryſoſt.) *Vt filiorum pœnas ipſi ferant, & grauius eſt illis, videre filios ſupplicio affici, quam ſi ipſi, iis forent obnoxii.* Vult

II. Filiorum doloribus parentes grauiter torquentur. Deus viſcera Abrahæ amici ſui grauius torquere, in ſuæ fidelitatis probationem, cui mandat vt vnicum filium ei offerat in ſacrificium. Domine, an non euidentius pateret Abrahæ fidelitas, ſi ei præciperes, vt ſeipſum tibi obediens immolaret: vt gladius guttur eius, vel cordis perfodiat intima: Minimè: maiorem enim adferet cruciatum, ſi filium, quam ſi ſeipſum trucidet offerendum. Notat D.Hieron. quod

D. Hier. Epiſt. 27. de Epith. Paula. Tom. 1. licet hæc tot virtutum floreret inſigniis, motus ſuos inordinatos compoſuiſſet, minimè tamen cordis ſui triſtitiam potuiſſe ſuperare, quando eius quilibet filius graui torquebatur calamitate, & quando eorum quiſquam moriebatur, infirmabatur illa, & ad mortem vſque periclitabatur: *Suorum mortibus frangebatur, maximè liberorum, in quorum dormitione ſæpe periclitata eſt &c. ſuperabatur affectu, &c.*

Hom. 7. de Machabæi

Hinc colligit D.Chryſoſt. Aſtum Diaboli dum morti traderentur ſeptem illi germani fratres Machabæi, quod omnium primò non cruciarit, aut enecarit matrem, ſed prius ſeptem eius filios interemerit, vt ipſos ea coram aſpiceret cruciatibus torqueri, quo matris penetralia crudelius in vnoquoque torquerentur, quàm ſi ipſa hos perferret cruciatus. Quocirca multorum eſt opinio, quod illa præ dolore nullo alio aut gladio aut cultro trucidata corruerit: quod Spiritus S. indicauit illis terminis, quibus eius deſcribit mortem, poſtquam enim filiorum retulit martyrium ipſa præſente, & filios adhortante, immediatè ſubiungit: *Nouiſſimè autem*

2. Machab. 7. 41. *poſt filios, & mater conſumpta eſt.* Quaſi dicat: quod ex conſpectu cruciatuum, quibus chariſſima ſua pignora laniabantur, vitam amiſerit: tormenta quippe, quæ natorum torquebant corpora, vt gladius acutiſſimus, materna viſcera penetrarunt, & necem attulerunt. Vult Deus punire peccatorem, & eum plectit in eo, quod durius illum affligit, quod habet charius, quod toto diligit affectu, quod eum acrius irritabit. Ad ſe citat non ſemel Abſalon Ducem Ioab, at ille ſurdas præbet aures, ire negligit, præcipit ſeruis ſuis, vt ignem iniiciant frugibus eius momenti maximi, & ipſi lætiſſimis. Rem intelligit Ioab, illico accurrit, quid hoc rei, Domine, quid campus meus, quid meſſis mea commeruit vt innocens ignibus conflagraret? Non propter meſſis reatum, ſed propter tuam ſocordiam, qui vocatus à me jam ſæpe venire renuiſti: cũ enim voces & nuntia nihil proficerent, ignem juſſi frugibus adhiberi, flammas quippe ignis illas conſumentis indubiè ſentires vehementius, illæ te excitarent dormientem. *Miſi ad te obſecrans vt venires ad me.* Quoties domum redis, ex ædibus 2. Reg. 14. 32.
illius quam optimè noſti, reuerſus & ecce tibi filius chariſſimus deliciæ tuæ, dimidium animæ tuæ ardentiſſima febri correptus, quæ viſcera eius exurit vel aſthmate eſt pænè præfocatus: in vanitatibus tuis, ac inhoneſta, & pernicioſa viuis libidine, vſu æ lucrum, auri ſacra fames mentem tuam occuparunt, & ecce filia tua, quã vt pupillam oculi diligebas, lecto decumbit moritura, vxor quoque ſolamen vnicum, ad extrema properat non conualitura.

Eleganter diſcurrit D.Chryſolog. circa illam interrogationem Chriſti, ſubſidium quærit pater 20
D.Pet. Chryſol. Serm. 51. cuius filius à dæmone poſſeſſus ſæuè nimis torquebatur: *Allidit eum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit*: Chriſti manum poſcit auxiliarem. Iubet Chriſtus eum ad ſe adduci coram tota populi concione, vt miraculum omnibus teſtibus fieret celebrius. Tum patrem interrogat: Marc. c. 9. 21.
*Quantum temporis eſt, ex quo ei hoc accidit?* Quid tu ergo Domine (quærit D.Chryſol.) de tempore requiris: An non tu ille, qui noſti tempora, vſque ad minima momenta: Iam nobis dixit amicus ille Iob. *Ab omnipotente non ſunt abſcondita tempora.* Reſpondit D.Petr. Chryſolog. Iob. 24. 1.
*Requirit paſſionis tempus, auctor temporis, non vt neſcius.* Sed vt ex reſponſione quàm a patre dandam prænouerat, illi intimaret, quod ob ſua peccata, filius eius tam immiti Domino traditus torquebatur. Quærit: *Quantum temporis eſt, ex quo ei hoc accidit?* Reſpondet pater: *Ab infantia* Quaſi illi diceret: Attende, quæſo te, quod illa paſſio filio tuo aduenerit eo tempore, quo ille propriis peccatis non inquinabatur, quibus Dei iram in ſe prouocaſſet, ac proinde tibi perſuade hanc illi contigiſſe propter tua peccata, quæ Deus in eo voluit caſtigare *Interrogatione ætatem pandit, vt tanti mali cauſam non ſobolem, ſed parentem &c.* Et bene hoc pater aduertit, illico enim Chriſto ad pedes proſtratus, cum lachrimis inclamat: *Adiuua nos, miſertus noſtri.* Miſerere mei

Domine parentis, qui me huius cauſam acceſo calamitatis. *Adiuua nos miſertus noſtri.* Hoc eſt, (ait D. Petr. Chryſol.) *Miſerere nobis, quorum reatus aggrauat innocentem, ad quorum pœnam infantis periculum redundat.*

21 O quam ſalutaris lectio parentibus! Eodem modo caſtigauit Deus per Noe impiam irreuerentiam Cham, filio eius Chanaam maledicens. In intellectu ſuo mulier Chananæa reflectitur, ſuper hoc parentum ſuorum facinus, & cum ex eadem ſit nata progenie, veretur ne ſibi in domo ſua hoc ipſum quoque potuerit accidiſſe, vt mater in filia plecteretur, & ad eius pœnam infantis redundet periculum: Num ob ſua ſcelera, idololatrias, & vitam inhoneſtam per filiæ cruciatum Deus matrem cruciaret. Num fortè, ob aliquod maledictum, quo filiam diris deuouiſſet, effutiendo: diabolus te auferat, illam modo diabolus ingreſſus laniaret. Exploratum eſt, parentum benedictiones filiis prodeſſe, quam plurimum, ſicut è contrario maledictiones maximo venire nocumento. Satis apertè hoc teſtatur Spiritus S. *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta*

*Ecc. c. 3. 11* Vnde Iacob omnia fauſta, qui tot moleſtiis obruebatur? quid eum tot euidentiſſimis eripuit periculis? tam illuſtrem reddidit, & bonis omnibus prædiuitem niſi patris Iſaac benedictio, quam ei tanto ſtudio, tot artibus ſedula mater procurauit? Quid Ruben primogenito Iacob jus abſtulit primogenituræ, effecitque vt in numeroſam non excreſceret familiam, ſed inſtar fumi in fumos euaneſcerent omnia, quæ ageret, nihil illi cederet proſpere, feliciter ei nihil eueniret, eorum quorum ſpoliatis alebatur, niſi maledictio illa patris: *Non creſcas?*

*Gen. c. 49. 4.*

*Lib. 22. de Ciu. c. 8.*

III. Exemplum.

Notandam propono hiſtoriam ex D. Auguſt. de muliere vidua, decima prole fœcunda; ſeptem filiis, ac tribus puellis, quodam die ob neſcio quem defectum, irritata, cunctos maledictis deuouit dicens: Timor ac tremor vos abſumat. Extemplo tremor ac horror cunctos inuaſit: ita vt eorum quilibet tanto toto corpore ac ſingulis eius membris tremore quateretur, vt ad commiſerationem ſtuporemque cuncti mouerentur: idque continuè, ſiue ſtantes, ſiue ſedentes, ſiue comedentes, ſiue jejunantes, ſiue vigiles, ſiue dormientes, ſemper hac membrorum agitatione concutiebantur. Horrendum erat videre, in capite tremores, & motus continuos; pariter & brachia & humeri, & pedes, & manus, nunquam à motu quieſcebant. Addit autem D. Auguſt. quod duos ex illis viderit fratrem ac ſororem, adeuntes Eccleſiam vbi D. Stephani reliquiæ colebantur; vbi totum populum ſtupore ac horrore ſuſpendebant, pauendis ſuis vultibus, motibus inordinatis ſingularum partium corporis, nec erat qui illis non compateretur: omnes quoque intellexerunt hanc illis infirmitatem ex materna maledictione obueniſſe: demum omnium miraculorum, quæ ad inuentionem ſacrarum S. Stephani reliquiarum patrata ſunt, fuit illud celeberrimum, ſcilicet, quod ipſis coram illis orantibus, totoque populo, ac Sacerdotibus in preces & lachrimas effuſis, ſanitatem receperint, prior frater, deinde ſoror.

Nec minori vacat myſterio quod accidit 22
Apoſtolico noſtro Prædicatori S. Vincentio Ferrario dum in Francia verbum Dei diſſeminat: In eius necem conſpirarunt juuenes quidam germani fratres, qui dum factum tentant & virum Dei interimere moliuntur, ecce ſubito virtute diuina brachia eorum areſcunt: ita punit eos Deus, qui Sanctos ſuos inſequuntur, vt quid ſimile legimus de Rege Hieroboam. Quâ pœnâ meliores effecti, temeritatis culpam agnoſcentes, ac peccati ſui pœnitentes, pedibus eius prouoluti delicti veniam rogant, & orationum eius ad eorum ſalutem, ſuffragia, quibus ille clementer, vt ſolent viri Dei, reddentes bonum pro malo. Abite, filii, matri veſtræ renuntiate, vt tria peccata ſua grauiſſima confiteatur, quibus eius conſcientia prægrauatur: illa vero confitente, pariter & vos ab hac Dei plaga liberabimini ac integre curabimini: quod & contigit. Heu quot infirmis liceat hanc præſcribere medicinam? Parentes peccata confiteantur, agant pœnitentiam, & filii conualeſcent. Veſtram teſtor experientiam: dum anima veſtra peccato langueſcit, continuò & puer langueſcit, excreſcunt in facie puſtulæ, ſcabies, & Deum puero in auxilium inuocas, ſed in hoc pueri conſiſtit valetudo, ſi prius anima tua peccatis euacuetur, ex illius enim humore peſſimo, redundat in puerum morbi ſupplicium.

IV. *M. F. Vincen. Gen. In ejus vita. L. 1. c. 12.*

*3. Reg. 13. 4.*

Conueniunt Conſules ac Rectores Hiericho, adeuntque Prophetam Eliſeum, queritantes, *Ecce habitatio ciuitatis hujus optima eſt &c. ſed aquæ peſſimæ ſunt.* Quibus Propheta, adferte mihi vas nouum, & mittite in illud ſal: adferunt & ſal mittunt in vas nouum, in ſal num, & *Egreſſus Eliſeus ad fontem aquarum miſit in illum ſal.* Quo peracto adſtantibus ait: Diſcedite

*4. Reg. 2. 21.*

& ad propria reuertimini, iam ciuitatis veſtræ ſanatæ ſunt aquæ & obdulcatæ. Cur o vates ſal non miſiſti in amaras aquas ciuitatis? quia præſciebat Propheta aquarum amaritudinem ex fontis amaritudine ſcaturire: fonte autem obdulcato cæteri quoque riui lenirentur. O quoties cernis filios, ex ſe pios ac innocentes amaris torqueri cruciatibus, morbis acrioribus ad mortem vrgeri? Eorumne deſideras valetudinem? mitte ſal in fontem aquarum, fontem unde morbi ſcaturiunt; hoc age, vt parentum amara vita corrigatur: honeſtius mores ſuos componant, cordis rancores mitigent, nec dubium priſtinam facile ſalutem filii conſequentur. Hoc apprime nouerat mulier Chananæa, verebatur enim ne ſua peccata, filiam a dæmonio vexatam detineant. Hoc quoque placet conſiderare, quam pia mater hæc; quæ filiam ſuam a dæmone toto poſtulat cordis affectu liberari.

Parentes etenim plurimos videas, quibus nedum dolor eſt filias a dæmone poſſideri, ſed inſuper & tanto ſibi malo gratulantur. Narrat D. Lucas. Philippos in Macedonia ingreſſi ſunt D. Paulus & Sylas Euangelium prædicaturi: & ecce occurrit illis puella a dæmone poſſeſſa: *Dolens autem Paulus, & conuerſus, ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea, Et exiit eadem hora.* Mirum, continuo in Apoſtolum commouentur puellæ domini qui eam vt patres diligebant, & vtrumque tam Paulum, quam Sylam reos citant, & in vincula coniiciunt. Fieri ne id potuit? nihil te hoc moueat, (ait Euangeliſta) illi quippe, qui eam domi curabant, quæſtum ſibi ex puella a dæmone poſſeſſa conquirebant; multi enim confluebant, vt eam viderent, & de ſecretioribus negotiis, aut aliis rebus interrogarent veritatem. Totus attonitus vocem extollit D. Chryſ. *O paganorum inhumanitatem, vt augeant pecuniam puellam a dæmonio vexari volunt.* O ſanctiſſime Doctor, quid hanc adeo ſtupes in paganis crudelitatem, hanc potius in Catholicis quam plurimis ſtupeas inhumanitatem. Heu quam multos dolemus parentes Chriſtianos, quorum ſunt filiæ a dæmone poſſeſſæ: quot matres ingemiſcimus, quæ totis neruis huic incumbunt, vt diabolus filiarum corda poſſideat, quia ex illis ſibi victum acquirunt? Nolunt dæmonium a filia diſcedere, quinimo vt hoſtem habent ac perſequuntur, qui eas conatur a malo dæmone liberare. Alios legimus, cum Dominus dæmonum legionē ex homine in porcorum gregem demandaſſet, inſtare ſupplices, ut ab eorum finibus feſtinus diſcedat

Act. 16. 18.

V. Parentes filias a diabolo poſſideri con dolent.

D. Chryſ. Ho. 35. in Acta, Tom. 3.

non enim aiunt, talibus egemus, qui dæmones hominum corporibus expellant, cum porcorum immundorum animalium damno, quos dæmones occuparant. Pia mater Chananæa, quæ filiam a dæmone vexari non ſuſtinet, vtpote hoc ſupremum domus ſuæ exiſtimans detrimentum, & maternorum viſcerum ſæuiorem morte cruciatum.

### §. 8. *Magna huius mulieris fides, quæ Chriſtum implorat: eſt enim aduerſitas, vt mucro Hieremiæ.*

Domine fili David. Admirare in his verbis fidem mulieris huius præclariſſimam, quibus perfectam ac integram de Chriſto prodit confeſſionem: hanc nimirum quod cum Chriſtus vna ſit perſona, eſſet tamen ſimul & diuina ac humana. *Hæc eſt fides Catholica, vt credamus & confiteamur; quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Deus & homo eſt.* Deuiarunt ab hac fide hæretici, qui hanc vnionem permittere noluerunt; Quidam credebant Chriſtum eſſe ſolum Deum nec verum hominem, vt Manichæi; alii ſomniarunt, eum eſſe ſolum hominem, non verum Deū vt Ariani; O perduelles, qui vnionem hanc nexumque diſſoluitis Anti-Chriſti: *Omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum.* (audite D. Ioannem) *Ex Deo non eſt & hic eſt Anti-Chriſtus.* Vnum alteri connectite, duos illos tomos in vnum compingite librum, librum illum grandem, ſicut Deus Iſaiæ præcepit: Confitemini: Quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus Deus eſt verus, verus eſt & homo. Hunc fidei articulum mulier hæc confitetur, dum enim Chriſtum inclamat: *Domine* abſolute, ſine reſtrictione, ſine additione, confitetur Deum cui proprium eſt eſſe cœli & terræ Dominum ſine termino, illimitatum Dominum creaturæ ſpiritualis ac corporalis, mortis & vitæ, eorum omnium quæ ſunt, imo & eorum quæ non ſunt, vt prædiximus in confeſſione Centurionis; & hoc eius eſt ſigillum, quo cunctis ſubſcribit: *Ego Dominus.* Dum vero Chriſtum dicit filium David, diſtincte Chriſti fatetur humanitatem, ſecundum enim hanc ex familia David deſcendebat. Sublimis fidei confeſſio, qua dixerim altiorem non fecit ac euidentiorem D. Paulus, etiam poſt frequentatas gloriæ claſſes, & raptum ſuum vſque in tertium cœlum. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei ex virtute.* Multis prærogatiuis præceſſit mulieris huius veridica confeſſio, Doctorum Ieruſalem fidem, qui ſe mundi iactabant luminaria, & Eccleſiæ magiſtros, qui

In Symbolo D. Athanaſij.

1. Ioa. c. 4. 3.

I. Mulier Chriſti fatetur diuinitatem.

Ro. c. 1. 4.

*Ser. 235. de temp.* hanc naturarum in Chriſto vnionem numquam crediderant, vt ponderat ad rem D. Auguſtinus Illos quondam Chriſtus interrogat, Reſpondete mihi. Cathedrarum magiſtri, populi huius Doctores, Chriſtus cuius filius eſt? dicunt ei omnes. Dauid Replicat Chriſtus: *Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum, Dominum,* *Mat. c. 22. 43.* *dicens; Dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis.* Pater enim, qui formulas nouit loquendi, numquam filium ſuum vocat; Domine mi: quo audito Phariſæi ita hoc laqueo irretiebantur, vt muti, & pudore confuſi diſceſſerint. O mulier Chananæa, quam tua ſublimior de Chriſto cognitio, quam ſubtiliter hoc diſſoluis dubium: Dominus (ait) Dauidis & filius Dauidis. *Dauid fils Dauid.* Ex qua parte Deus es, Dauidis es Dominus; & omnium creaturarum; qua vero parte homo es, filius es Dauid.

Aduerte autem, quod veram Chriſti confitens humanitatem, non Chriſtum vocat hominem, ſed filium Dauid, quaſi dicat: proficiat, quod felix fauſtumque ſit ei, qui ſuis aſſimilatur parentibus. Memineris Domine parentum tuorum, ſicut & ego meorum, patris tui Dauid facinora recordare. Erat hic miſericors, pius, clemens, inopia preſſis accurrebat, eorum erat Princeps, hoc ei quotidianum exercitium oues dentibus ac vnguibus eripere leonum, cytharæ ſuæ pulſu compeſcere dæmonem Regem Saulem cruciantem; En tibi viam aperio, qua te talis patris probes filium; a te miſericordiæ viſcera repoſco, qui filius es parentis clementiſſimi. Gratiam tuam imploro, qui filius eius es, qui gratiæ ſuæ fauore miſeris ſubueniebat. Agniculam oculis tuis obiicio, leonis dentibus præfocatam, qui carnem di laniat, qui oſſa confringit, qui ſenſus perturbat, nec eſt, qui miſereatur. *Filia mea male a dæmonio vexatur.*

Porro, mulier o Chananæa, ſi ſit diabolus qui filiam tuam excruciat, cur ab eo non poſtulas, vt eam deſinat cruciare? familiare quippe erat Chananæis diabolis ſacrificare, vt eorum iram placarent, & inflecterent, ne rebus eorum vllum inferrent nocumentum. O mulier admirabilis! Credidit nullas dæmoni eſſe vires, ad filiæ lanienam, niſi quas illi Deus permiſiſſet: licet enim diaboli voluntas peruerſa ſit, & ad omne malum prona, vtpote diaboli voluntas; poteſtas tamen quam habet, iuſta eſt, quia eam a Deo habet, & ne minimum quidem amplius poteſt, quam illi Deus conceſſit, vt Dominica 3. dicemus; ac proinde nulla eſt ratio ad diabolum recurrendi, cuius voluntas in malum noſtrum eſt obdurata, ſed ad Deum, qui ei dat licentiam vel etiam præcipit, vt exagitet eum, quem exagitat. Cædit magiſter puerum virgis, virgas puer non rogat, vt ceſſent eum verberare, ſed conuerſus ad præceptorem infuſus lachrimis ſupplex expoſtulat, ſpondens emendationem, deſiſtat ipſe a verberando. Hæc erat gentilium *II. Vnde gentilium idololatria.* cœcitas, vt dum illis res aliqua incommodo afficeret, cui reſiſtendo vires non ſuppetebant, eam vt Deum adorarent, ſe ad eam conuerterent, ſupplicantes, vt eis clemens propitiaretur. Ita vt Deos coluerunt famem, febres, mortem; quinimo quidam mures glires vt Deos habuerunt, quia talibus non poterant præualere. O mente capti, quid autumatis febrem ex ſe vobis nocere? paupertatem, & rerum inopiam eam eſſe, quæ vos affligit? calamitatem, eam eſſe quæ vos excruciat? flagellum eſt manus Dei. Quando eo plecteris, ad eum conuertere, nec excandeſcat furor tuus in febrim, in medicos, in medicinas, in paupertatem, ac diuerſas ac plures technas ac fraudes fœneratoris; de his enim conqueritur Deus, quod, dum populum *Iſai. c. 9. 13.* cædit, ad eum ſe non conuertat, *Populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe.* Immittebat illis hoſtes, & ad eos tantummodo reuertebantur, non vero ad eum qui illos excitabat, ſicut flagellum, quo illos puniebat, & hoc omne erat eorum ſtudium, hæc diligentia, hoſtes profligare, quaſi ſua malitia concitati illos bello laceſſerent, vel ſuis tantum viribus ſiſi conuenirent; oculoſque ad Deum non reflectebant cum eſſet ille, qui eos excitabat in ſuorum ſcelerum iuſtiſſimum ſupplicium. Indignabatur Dominus Palæſthinis, Tyriis, Sidoniis, Aſcalonitis, Gazaitis: vt vero deſignaret, quo, eis flagello ſtatuerat pœnam irrogare, flammeum oſtendit in viſione Prophetæ Hieremiæ mucronem, qui terribilem adeo edebat virorum ſtragem, vt ipſe Propheta animo conſternaretur; & ad mucronem conuerſus, eum cœpit deprecari, vt cædere deſiſtat, ardorem ſuum, itamque moderetur: *Hie. 47. 7.* *O mucro Domini, vſquequo non quieſces? Ingredere in vaginam, & refrigerare & ſile.* Vocem audis ſibi reſpondentem. Quid mucronem deprecaris? Ad eumne te conuertis, vt furorem ſuum longe lateque debacchantem remoretur? hoc no ueris, o vir Dei, mucronē nec venire, nec ſtragem edere, nec euaginari proprio motu; Deus eſt, qui eum de vagina educit, qui potentiſſima ſua manu eo in vindictam vtitur populorum: & dum ille mucronem cædentem non retrahit in

vaginam,

vaginam, inanes ſunt omnes tuæ curæ, ſtudia vana: non enim deſiſtet ulteriori ſtrage inter homines latrocinari. *Quomodo quieſcet, cum Dominus præceperit ei aduerſus Aſcalonem, & aduerſus maritimas eius regiones ibique condixerit illi.* Te ad Dominum conuerte, illum roga, ut mucronis vires eneruentur, inclama: *Miſerere mei Domine.* An te febris ardentiſſima velut fornax incenſa fatigat? num te lis iniuſta moleſtat, qua te vicinus impetit innocentem? num te ſuperueniens bonorum damnum excruciat? An te premit contra te dictum teſtimonium, aut calamitas in te inopinato inſurgit, nihil tale ſuſpicantem? Attende, crede, hæc eſſe Dei mucronem, quo tibi comminatur, quo te ferit; non eo tua tendat ſolicitudo, non labor, illa detorquere, vocare medicos, quærere medicamina, corrumpere iudicem muneribus, aduocatos conſulere, meditari paupertati tuæ remedia, vires tibi conquirere quibus te tuis opponas inimicis, & iniurias vlciſcaris. Ad Deum ſit conuerſio tua, ille quippe eſt, qui educit mucronem, qui te fatigat, qui te moleſtat. Ita Dauid Saulis perſecutione aliorumque hoſtium fraudibus huc illucque profugus agitatus, ad Deum recurrit: *Domine eripe animam meam ab impio frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* Legit D. Hier *Salua animam meam ab impio, qui eſt gladius tuus.* Mucro tuus, Domine, inimicus meus eſt qui me moleſtat, illa calamitas quæ me lancinat, quo pœnam infligit. [Pſ.16. 13.] Ita poſtmodum Deus ipſe fatebatur, loquens de Nabuchodonoſor, quem virgam vocat, qua ferit, qua punit peccatores. *Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt; in manu eorum indignatio mea.* [Iſai. c. 10. 5.] Ad te Domine recurro, re medium quæſitura & in tua confido miſericordia deſolata; *Miſerere mei Domine.*

Vtiliſſimam nobis narrat Spiritus S. hiſtoriam. Erat Rex Achaz perfidus, ſacrilegus, Deo periurus, cultor dæmoniorum eximius; Et ipſe cum talis eſſet, offenſionis lapis fuit vniuerſo populo; quare Deus prouocatus ſtatuit eum pro demeritis caſtigare ſeuerius in eum prouocans ſuperbum Aſſyriorum Regem Theglats pharnaſar exercitu copioſiſſimo ferocientem. [2. Paralip. 28. III. Peccatis nos diuino nudari auxilio] Narrat hoc S. Textus quibuſdam verbis, quæ ex ore Spiritus S. prouenīte, optime conuenit. *Humiliauerat Dominus Iudam propter Achaz Regem Iuda, eo quod nudaſſet eum auxilio.* [2. Paralip. 28. 19.] Eadem hac phraſi loquitur, qua olim, dum Aaron ad populi murmur, vitulum aureum illum conflauit, quem omnes vt Deos ſuos adorarunt; dum enim Moyſes [Exod. 32.] de montis faſtigio deſcendit, viditque populi ſtultitiam, ait S. Textus: *Videns Moyſes populum, quod eſſet nudatus (ſpoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat.)* Veſtierat, atque armauerat Dominus populum gratia ſua, multo fortius ac ſecurius, quam ſi omnes armis æreis, expolitiſque munirentur; ac proinde, nullus eum hoſtis cædere potuiſſet. Illo vero crimine, quo Deum irritarunt, eis Deus ſuum abſtraxit auxilium, priuauit gratia, ac proinde quaſi nudi, nullo protectore inter ſæuiſſimos exponebantur inimicos: ita vt vndequaque hoſtilis eos gladius inuadere potuiſſet. Hoc in Republica peccatum operatur, hic eſt criminum effectus, dauino illam denudat auxilio, unde nullo negotio, nemine obſiſtente, eam hoſtis inuadit, depopulatur, & pro voto ſibi ſubiicit ciuitates etiam munitiſſimas. Ita Rex ille egit idololatra, dans occaſionem populo, vt relicto Deo ſuo, diis alienis adhæreret, ob quam eorum culpam, illos Deus diuino ſuo fauore nudos dereliquit ac inermes, ita vt adueniens Theglats pharnaſar, vt a Deo miſſus, impetum facere potuerit in Regnum Iuda, qua parte voluiſſet, quod & fecit. *Adduxit contra eum Theglat ſphoruaſar Regem Aſſyriorum, qui & afflixit eum.* Impius autem Achaz & cunctus populus Iuda his aduerſitatibus miſeri, & inducti in laqueum, peiora fecerunt, & veteribus noua peccata addiderunt. *Inſuper tempore anguſtiæ ſuæ auxit peccatum in Dominum.* Et quæ fuere, quæſo, hæc peccata: Non eſt reuerſus ad Dominum miſericordiam eius rogaturus, ſed idola coluit, & dæmonibus Syriæ hoſtias immolauit, obtulit ſacrificia, vt eos ſibi deuinciret, iramque eorum deliniret. *Dij regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hoſtiis, & aderunt mihi, cum e contrario ipſi fuerint ruina & vniuerſo Iſrael:* O ſtulte, dæmonum opem imploras? eorum quæris auxilium? Attendis Regis Aſſyriorum exercitus, mucronem Dei, quo ipſe te ferit punit, tuis tradit inimicis? ſtulte, in Deum oculos conice ipſe quippe eſt, qui in tuorum criminum pœnam, quibus eum inhonoraſti, te ad has compulit anguſtias, illi tu dicito; *Miſerere mei Domine.* O Dauid virum iuxta cor Dei, qui duriſſima ab hoſtibus perpeſſus, non ad eos ſe conuertit, ſed ad Dominum: *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* [Pſ. 119. 1.] Illum rogauit, illi vota ſua reddidit, illi hoſtias immolauit, vt ſibi ſuccurreret, inimicis foret inimicus, illos armis, ſuoque præſidio denudaret.

[ſ09] Non

§. 9. Non reſpondit. *Deus nobis non reſpondet: vel quia illi non reſpondemus, vel quia diſſimulat.*

25

VT autem Chriſtus audiuit huius mulieris querelas & lamentabile *miſerere*, terga illi vertit, abit, nec verbulum reſpondet. *Non reſpondit ei verbum.* O verbum maioris admirationis quam poſſit omne verbum ponderare. Quid hoc noui Domine? Quis tuam peruertit conditionem? Dum vates Iſaias mundo fauſta omnia, & felicia ob Chriſti aduentum apprecatur, eum deſcribit adeo promptum, & ad miſericordiæ opera paratum, ei qui ea flagitaret, vt fidem nobis faciat, fore coniungenda; & petere, & impetrare. *Miſerans miſerebitur tui, ad vocem clamoris tui, ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi.*

*Iſai.c.30. 19.*

*Hom.7. in Pſ.29.*

Perpende, (monet te D. Baſil.) quod in S. Scriptura, ſi eam attenta mente perlegeris, inuenies Dei miſericordiam, noſtræ comitem orationi; quia inter inopis orationem, & Dei conceſſionem, nullum intereſt medium: *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam a me.* Conſociantur oratio mea, & Dei miſericordia, confœderamur, ego rogans, & Deus mihi ſuccurrens, ego inops & Deus auxiliator. Hoc quoque Dauid canit; *Domine Deus meus, clamaui ad te & ſanaſti me.* Ratione huius notat D. Bern. alia quoque verba Regis Dauid; *Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ.* Adhuc verba ori meo inhærebant necdum perfecte pronuntiata, Deum meum inuocabam, & ecce exaudiuit me. Memor eſto (ait D. Baſil.) promiſſi huius vatis Iſaiæ: *Adhuc te loquente, dicet, Ecce adſum: id eſt; nondum vocare deſiiſti, & finem inuocationis aures Dei ſuſceperunt.* Comprehende animo, (monet D. Greg. Nazianz. verba illa Prophetæ Ezechielis. *Si conuerſus ad Dominum ingemueris, tunc ſaluus eris.* Ita legit ipſe: notans illud *Tunc*: quod noſtra vulgata lectio habet: *In quacumque hora. Tunc.* quando clamaueris, quando ingemueris? *Videbis quemadmodum ſalus cum gemitu coniuncta ſit. Nihil inter petitionem, & rei petitæ obtentionem intercedit.*

*Pſal.65. 20.*

*Pſ.29.3.*

*Serm.9. in Cant.*

*Pſ.4.1.*

D. Baſil. *Hom.8. Quod Deus non eſt autor malorum. Tom.1.*

*Iſa.58.9.*

D. Greg. Nazian. *Orat.17.*

*Ezec.c.18. 21.*

Opinor ad memoriam velle reuocare hiſtoriam Regis Ezechiæ, quo flente & poſtulante a Deo miſericordiam, ad primam eius lachrimam ac ſingultum, accurrit miſericors Deus per Iſaiam Prophetam, dum non tantum orationem non abſoluerat, ſed nec mediam eius partem, & vix eam inchoarat, vix primum gemitum ediderat. Argumentemur: Si Deus in lege veteri orationes ſuorum tam feſtinus exaudierit, quanto iuſtius erat, vt exaudiret, quando homini per Incarnationis myſterium magis propinquabat? Ager hoc (aſſerit Propheta) tam pronus, vt *Ad vocem clamoris tui, ſtatim cum audierit reſpondebit tibi.* Quid igitur modo tales voces audiens; *Non reſpondit ei verbum?* O Domine, (quærit Orige.) Quomodo fieri hoc poteſt? De te tuus teſtatur Apoſtolus: *Seipſum negare non poteſt.* Quis tu? verbum, *In principio erat verbum.* Si ſis verbum, & verbum tuum negas, te ipſum videris negare. Domine a quo tempore, hoc ſilentium, hæc verborum paucitas, hæc auſteritas quod te pigeat vel vnicum dare verbum? quæ fiducia te rem magni momenti daturum, ſi vel negas verbulum? An non Domine, te decet meminiſſe præcepti, quod olim diuini iniunxiſti: *Eleemoſynam pauperis ne defraudes & oculos tuos non auertas a paupere.* Et inferius. *Non protrahas datum anguſtianti, rogationem contribulati, & ne auertas faciem tuam ab egeno.* Et adhuc inferius. *Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam &c. & reſponde illi pacifice in manſuetudine.* Omnia hæc, quæ tu Domine aliis præcepiſti, tibi videntur deficere.

*2.Tim.2.*

*Ioa.c.1.1.*

*Eccl.c.4.1*

Multas congerunt SS. Patres huius ſilentii rationes, aſſerentes quod non ſine ratione Chriſtus ſiluerit. D. Chryſoſt. vnam ſignat, quam leuiter conſiderabimus licet enim ex ſuo Deus, ea qua illum hora inuocamus, reſponderet, nos ipſi tamen ſæpius in cauſa ſumus, quod ipſe nobis non reſpondeat, ſurdum agat, ſe contineat, Deus quippe ſpeculum eſt, & talem eum tibi reperies, qualis illi tu fueris. Millies ille te accedit, te vocat, clamat, tu vero taces. Quoties ad cordis tui pulſauit oſtium, rogando, & inſtando, vt illi aperires, locum cederes, amicam dimitteres, quæ per vſuram lucratus es reſtitueres; malæ vitæ tuæ mores componeres, peccata confitereris, mortis tuæ horæ ignarus, & non reſpondes ei verbum? Quoties accedit Deus in paupere vulnerato, vidua paupere, pupillo nudo, & tibi vociferatur quidquid pauperi fueris elargitus, te hoc Chriſto largiri: in eius enim nomine poſtulant eleemoſynam, ſed nec audis, faciem, imo & terga pauperi vertis inhumanus? Ob hoc nec te Deus audit rogantem, quando calamitate preſſus eum quæris adiutorem: adhuc quippe iam dudum fueras inuitatus. *Vocaui & renuiſtis, extendi manus meas, & non fuit qui adſpiceret, ego quoque in interitu veſtro ridebo, tunc inuoca-*

*Hom.18. ad pop.*

I. Cur Chriſtus vt mulieri, ita nobis ſæpe non reſpondeat.

*Prou.c.1.*

*inuocabunt me, & non exaudi im.* Licet hoc ita ſit, non credo, hoc locum hic habere, quandoquidem hæc mulier tam prompta fuerit Dei voci obediendo, vt quo tempore Chriſtus fuerit egreſſus, illa quoque fuerit egreſſa vt diximus.

26 Veneror rationem D. Bern. Scilicet, quod Deus ſæpenumero ſileat, nec reſpondeat; non quod nobis iraſcatur, ſed quia diſſimulat. *Diſſimulatio eſt ſponſi, non indignatio.* Perpendit idem D. Bern. Hæc ſponſæ verba. *Reuertere dilecte mi;* Vt quid Domine recedis, & ſponſam deſeris, cum dicas omnes tuas in eo eſſe delicias, quod cum illa ſis eum te ipſa vocet, dicatque: *Reuertere. Non vocat, ſed reuocat; nam reuocationis verbum eſt, Reuertere. & fortaſſe, ideo ſubtraxit ſe, quo auidius reuocaretur, teneretur fortius. Nam & aliquando ſimulabat, ſe longius ire, non quia hoc volebat, ſed volebat audire, mane nobiſcum Domine, quoniam aduesperaſcit. Et rurſus alia vice ſuper mare ambulans. cum Apoſtoli nauigarent, & laborarent in remigando, quaſi volens præterire eos, nec tunc quidem iſtud volebat, ſed magis probare fidem, & elicere precem. Denique ſicut ait Euangeliſta; turbati ſunt, & clamauerunt putantes, Phantaſma eſſe.* Ita cum animabus ſimulat Chriſtus ſicut cum Chananæa, quam repellit; vt auidius id, quod quærit, deprecetur.

D. Bern. ſer. 76. in Cant. ſer. 74. in Cant. Cant. c. 2.

Alludit D. Bern. ad illa verba, quæ Dominus in ſimili occa ſione cuidam dixit animæ, quam neſcio qua videbatur tractare aſperitate, & infra declarabimus. *Indignatio non eſt mihi.* Et diſtinctius, adhuc D. Auguſt. Hoc Chriſti cum Chananæi ſilentium perpendens ſic ait: *Clamabat femina, & diſſimulabatur a Chriſto, non ut miſericordia negaretur, ſed vt deſiderium accenderetur.* Puerulus fame laborans, matrem inuocat, & voce, & manibus, & [illegible]is petit ab ea quæ illum ſuis claudit brachiis. Mater; at illa non reſpondet, ſimulat dormientem. Domina puerum non audis? eius non capis neceſſitatem? an illum vis occidere? an illi ſtomacharis? Certe nequaquam Ad quid hoc ergo? *Diſſimulatio eſt non indignatio.* Non enim ita puer ardet matris vbera ſugere quam hæc illa ei porrigere, attamen his vocibus recreatur, his pueri motibus hilareſcit, quod eam hac, illac ita trahat quaſi exultans dormientem, inde gaudet, hoc delectatur, ob hoc diſſimulat, ob hoc ſurdas fingit aures, Eleganter de hoc D. Chry. *Si non exauditus es, perſeuera, vt exaudiaris, & ſi differt aliquando Dominus, non id odio facit, neque te auerſatur, ſed differendo diutius te ſecum ſeruare vult, ſicuti & patres filios indulgentius amantes, quo illos diutius apud ſe detineant, quos deſides vident dedita opera morantur aliquid daturi.*

D. Aug. ſer. 74. de temp. Iſai. 27. 4. D. Chryſ. Ho ſingu. quæ habetur poſt expoſitionem Epiſt. ad Philippen. in illud. Gene per occaſionem Ier. 4.

Illucet Natiuitas Domini, tempus ſtrenarum quas ab Epiſcopo, vel Prorege poſtulant choraulí Eccleſiæ, ad eius oſtium cantantes, interim immotus reſidet Epiſcopus. Reuer. Domine, An rogantes non vides, non audis? video, audio, Choraulis ergo non reſpondes, & eorum non feſtinus te inclinas prætenſioni: Eo quod muſica delectet, & ſi eis ſtatim reſpondero, ac bene muneratos dimiſero, diſcedent ilico, & terga vertent. *Diſſimulatio eſt, non indignatio.* Hoc quoque agit Deus. Nulla etenim ſuauior ac auribus tuis gratior muſica, quam Dei auribus oratio tribulati, Rem narrat Propheta Daniel omnino ſingularem. Toto corde preces ſuas effundit Propheta coram Deo, remedium poſtulans populo afflicto, captiuo, deſolato, ad multos dies hanc protraxit orationem, ieiuniis rigidis, cilicio ſaccoque indutus, cinere adſperſus, lachrimis & ſingultibus indulgens amariſſimis. *In ieiuniis, ſacco & cinere.* Tandem in oratione perſeuerante Propheta, circa dierum multorum finem, apparet ei Gabriel Angelus, qui Prophetæ Amice chariſſime: *Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo.* Dan. 9. 23.

Ad primum orationis tuæ verbum hic in terra, egreſſum eſt decretum Dei in cœlo in tui fauorem, & modo mittit me, vt hoc tibi ex eius ore ſignificem. Si ita ſtatim a principio Prophetæ votis annuit Deus, cur eum tot diebus detinuit perorantem in ieiuniis, ſacco & cinere, nec ei ſtatim; ab exordio voluit reſpondere? En quod ſummopere illa Deus delectaretur oratione, & ob recreationem, quam ex vatis clamoribus ſingultibus, lachrimis, (ſicut de matre diximus) hauriebat: licet enim quam primum puſio requirit vbera, mater illi dare ſtatuit, nihilominus continet ſe, audire diſſimulat, interim delectatur, recreatur, audiens lachrimas, videns geſtus motuſque puſionis, qualiter excitet dormientem, impellat hæſitantem, acclamet ſurdeſcenti, ſuæ quærat ſubſidium neceſſitati.

### §. 10. *Eſt pauperum oratio aroma Deo ſuaue fragrans, quam vt melius audiat, præcipitur in cælo ſilentium.*

ADmirandis, & conſideratione digniſſimis ſcatet Sacramentis viſio illa D. Ioa. Euangeliſtæ 27
Raptus in cœlũ vidit ſubito altiſſimũ imperari ſilẽtiũ: *Factum eſt ſilentium in cœlo.* Adquid quæſo, *Silentium in cœlo?* Sæpius lego repetitũ in S. S cœlites illos continuas Deo perſoluere laudes, & gratiarũ actiones, Illos notabat Dauid, dũ de can- Apoc. 8. 1. Pſal. 83. 5.

cantoribus his,& ipſe terrenus cantor canebat: *Beati,qui habitant in domo tua Domine , in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Hic in cognitione Diuina ſtipites ſumus,& in Dei laudibus deſides,ac proinde congruum eſt, cum ſilentio vèneremur , & ille Dei melius deprædicat celſitudinem, (aſſerit D. Dionyſ.) qui ſtrictiori ſilentio confitetur , nullam ad Dei laudes linguam conuenire. In cœlo autem , vbi ipſo Deo pleni ſunt.& ad eiuſdem laudes diſpoſiti perſonandas ei continuo laudes decantant ſuauiſſimas. Hoc Pſ.64.2. etenim Dauid his verbis indicauit:quæ D.Hier ita legit: *Tibi ſilentium laus,Deus,in Sion. & tibi reddetur votum Ieruſalem.* In Sion Eccleſia militante,vbi ſtatim langueſcimus,& mille diſtrahimur negotiis , optime Deo laudes perſoluimus ſilentio,*Tibi ſilentium,laus Deus in Sion.* In cœleſti vero Hieruſalem, beatorum impletur deſiderium nihil enim eos remoratur , turbat nihil, diſtrahit nihil, ita ut intermiſſe cœleſti muſica Deo modulentur gratiarum actiones;*Tibi reddetur votum in Hieruſalem.* Si hoc ita ſit quid potuit interueniſſe,vt ſubito totus chorus ille cœleſtis obmutuerit ? Credo hoc eo modo contigiſſe quo dum Phanaſeus ſeu vocum moderator cantoribus imperat ſilentium , plauſum edit manu & ſubito conticent omnes , vel dum paſſeres cantant prima aurora, ſi quis inopinato vehementem excitet ſtrepitum ſubito roſtella ſua concludunt, & altiſſimum fit ſilentium. *Factum eſt ſilentium in cœlo.* Quæ tanti cauſa ſilentii?Ad quid iſtud ? Cum primum factum eſt ſilentium,vidit D. Ioannes Angelum aſcendentem de terra , qui habebat thuribulum aureum plenum ſuauiſſimis odoramentis,& cum eo ſtetit ante thronum Dei. An ergo propter hoc debuit muſicæ cantus impediri? Num forte ſe non compatiuntur cœlitum cantus & oblatio ſuaue fragrantis incenſi aſcendentis de terra? Hoc ſcito,inquit, incenſum illud eſſe Sanctorum orationes,quas tribulationibus attriti in hoc mundo, ſurſum ex cordis viſceribus contribulati ad Deum dirigunt, ſicut incenſum ſuauem emittit odorem,quando igne accenditur: illæ autem in Dei conſpectu debebant perſonare.vt vero perfecte diſtincteque audirentur , vult & mandat Deus,vt cœlitum voces obmuteſcant. Magna latent hic arcana;Primum ſit Angelos fidelium orationes de terra in cœlum deferre:ſicut enim famuli,qui Principi ſuo ſtudent placere, norunt autem eum fructibus delectari, per diuerſos inquirunt hortos eos ,quos credant Domino ſuo eſſe gratiſſimos:ita quoque, cum ſciunt Deum orationibus afflictorum plurimum recreari, deſcendunt ad nos , & vix ore tuo ſunt egreſſæ, cum eas colligunt, ſurſum aſcendunt, eas Deo offerunt gratiſſimas. Hoc ſe facere Archangelus Raphael Tobiæ fatebatur : *Quando orabas cum lachrimis,ego obtuli orationem tuam Domino.* Tob.12.12.

Hoc autem attende quando oras , ſi talis ſis qualis eſſe debes , quod orationis tuæ ne minimum pereat verbulum,quod tibi adſtet Angelus qui omnia verba quæ de ore tuo procedunt, colligat diligenter;(& ſicut ille qui ex odoratiſſimis floribus componit roſarium) illa Deo defert odoranda.Ecce qualis eſſe debes in oratione qua veneratione,qua attentione,quo ſpiritu. Secundum ſit:quod dicit illas orationes fuiſſe cœlo gratiſſima & ſuauiſſima aromata , vt oſtendat, quam illæ placeant Deo ,abſit vt aliquod ei adferant aut tædium,aut moleſtiam, vt heri diximus: *Auſcultat cœlum orationes Sanctorum*, ait D.Auguſtinus. D.Aug. In c.8.Ap. Tom.9.

Nihil eſt quod ſic cor dilatet, vt ſuavis quidam odor : Proinde dum illam percipis, ore, & naribus aſpiras,quo eum tibi attrahas : illo cor dilatatur, Indicauit Deus,ſibi gratum eſſe prorum ſacrificiorum odorem, ſibi his cor dilatari, quo circa viri ſancti illa Deo offerre ſat agebant. Ita Noe , tranſacto diluuio,vt primum de arca prodiit , ædificauit altare ; obtulit auium mundarum ſacrificium per ignem. Odor autem ille Deo erat incenſum acceptatiſſimum *Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis:* vt autem ſignificet, hoc agere Sanctorum orationes,qui aduerſitatibus atteruntur,ait eas eſſe velut odorem ſuauiſſimum , & quod illas Angelus mittat in thuribulum aureum,vt quid pretioſiſſimum: ita vt,ſicut heri diximus , abſit vt Deo noſtræ ſint orationes faſtidioſæ, imo ei tædium leuant , & quo diutius durant ac ſunt amariores,eo cor eius magis dilatant ac recreant. Gen.c.8. 21.

Præcipuum autem notatu dignum , hoc eſt, quod quam primum Angelus ante Deum vult Sanctorum de terra offerre orationes , imperat Deus omnibus cœli cantoribus ſilentium , quo ſignificat,ſibi horum orationes quaſi magis placere, illiſque ſe magis delectari , quam cælitum melodia. Quando concinunt cantores,accedant autem aliæ voces ſonoriores,præcipis, vt alii ſileant,quo melius hæ percipiantur. De ſe narrat Iob.c.29. Iob quod eius ſermo tam gratus eſſet hominibus,quod dum contingeret eum adire multorum ſapientium ſocietatem, exemplo omnes ori digitum ſuperponebant , hoc ſilentio indicantes, magis ſe recreari audiendo eius colloquia,quam

propria,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

propria, quibus inter ſe differebant, erant enim doctiſſima & auditui mirum in modum accepta. Altiori non poterant præconio orationes noſtræ commendari, ut videas quam his Deus recreetur, quibus de tribulatione & cordis anguſtia ad eum, gemitibus, lachrimis & ſuſpiriis vociferamur. Hoc ni fallor, tangit vates Rex, qui ut rem certiſſimam hoc aſſeruit, Deo proprie conuenire, reflectere ſuos oculos ad eorum
[Pſ.101.18] orationes, qui variis ac ſummis ærumnis exponuntur: *Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum.* Vt autem confirmet, ac demonſtret, quam Deus his orationibus recreetur dicit, ſe nobis velle edicere, quidquam quod ipſe videt, & deſiderabat litteris aureis conſcribi ad perpetuam memoriam eorum qui ſunt in hoc mundo naſcituri, vt ex hoc obligentur Deum indeſinenter laudare, glorificare, venerari. *Scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur laudabit Dominum.* Quid eſt hoc Rex p iſſime? *Dominus proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cœlo in terram aſpexit.* Vidi (inquit noſtro modo) Dominum de cœlorum altiſſimis in terram aſpicientem, ut maximum quendam Principem qui recreationis ergo in curia ſuo regali diſcedit ad feneſtram, quæ hortum reſpicit, vt oculos ſuos reficiat. Ad hoc aperiunt aliquando Reges aulæ feneſtras, e quibus cætera proſpiciunt. Imo hoc ipſum fecit Rex Dauid, licet damno ſuo ſatis deplorando, vidit enim inde nudam Bethſabeam. Vidi inquit quod Deus *Proſpexit de excelſo ſancto ſuo:* Huc & illuc diuertit oculos ut quid videat, quod eum delectet, quo iucundetur. *Proſpexit.*

O magnæ maieſtatis Deus, quid quæris Domine, an ſit aliquid in terra tuis dignum oculis. Recordare, quod vna quidem vice terram es intuitus, & quid in ea vidiſti, niſi corruptionem, & quidem tantam, quæ te compulit, vt eam aquis diluuii demergeres peccatricem.
[Gen.6.12.] *Vidit Deus terram eſſe corruptam: omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram: dixit ad Noe finis vniuerſæ carnis venit coram me, repleta eſt terra iniquitate a facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra.* Quando eam conſideraſti in diebus Oſeæ Prophetæ; nihil vero in ea vidiſti, quod oculos tuos reficeret, ſed infinita, quæ te offenderent, mendacia, proditiones, homicidia, furta, adulteria. *Non eſt veritas, non eſt miſericordia, & non*
[Oſe.c.4.1] *eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum & mendacium & homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt & ſanguis ſanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra.* Nihilominus aſſerit Dauid, eſſe aliquid in terra adeo Deo iucundum, vt eius videndi deſiderio, de excelſo ſancto ſuo in terram aſpiceret, vt illud inueniret, proinde videt eum, huc & illuc oculos ſuos conuertentem. *Proſpexit.* Et quid eſt hoc o vates optime? quid in terra adeo maledicta eſſe poteſt Deo pergratum? Gemitus, ſuſpiria, orationes miſerorum. *Vt audiret gemitus compeditorum.* Ea etenim Deo gratiſſima eſt melodia, gemitus compeditorum, ſuſpiria captiuorum, lamentationes infirmorum, voces miſerorum, pauperum lachrimæ, iniuriatorum eiulatus, ſingultus profugorum, vt eorum audiendi gratia de cœlo proſpiciat, num in terra ſit aliquis, qui ſuaue ei hoc decantet harmonicum. Eia igitur chariſſimi, Deum recreate, eius aures refouete, nec dies prætervolet, nec hora, qua ad eius oſtium non occinatis chroma, licet illud aliud non ſit quam vnum triſte *Miſerere mei Domine fili Dauid.* Hoc conuenit cum eo quod ſponſus ſponſam ſuam dilectiſſimam rogabat; *Quæ habitas in hortis, amice auſcultant te fac me audire vocem tuam.* [Cant. 6.8. 13.] O amica mea, quæ habitas in hortis mundi concine, teſtor enim, me, & amicos meos, ardenti deſiderio exſpectare, vt vocem tuam audiamus. Domine quod melos, qui modi quis concentus eſſe poteſt in mundo valle lachrimarum, vbi non niſi ſuſpiria & gemitus pauperum audiuntur? Quæ pœana canere norunt qui viuunt in terra paupertatis & miſeriæ, qui numeri, quæ voces in eorum ore, niſi in ſuis tribulationibus ſubſidium, ſuis ærumnis leuamen, ſuis infirmitatibus ſolatium, ſuis aduerſitatibus præſidium? quid dicere norunt aliud doloribus afflicti, niſi gemendo petere ſubſidium? Hoc autem eſt, ita hoc eſt, ait cœleſtis ſponſus, id quod aueo intelligere; illa muſica gemituum auribus meis nulla dulcior, hanc volo, hanc deſidero eſſe perpetuam.

Notat D. Bernard. præclara illa verba Dauidis 29
*Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* [Se 75. in Cant.] Multo tempore, Domine, in cudiſti audiendo cordis [Pſ.9 38.] præparationem afflicti, qui te cupit inuocare, & coram te preces effundere lachrimoſas: quanto delectabilius eſt audire ſuauem & conſonam melodiam, tanto moleſtius eſt audire cytharam [1. Similitudo.] vel brabiton, quando fides & neruos attemperant, & componunt ſymphoniarchæ tunc enim plures audiuntur diſſonantiæ, quam conſonantiæ, & maxime tetricum & aurium offenſiuum eſt, audire organum, quando fiſtulas componunt: hæ enim ſuis diſſonantiis aures lædunt adſtantium. Si quis ita muſica delectaretur, vt de

profeſſo conueniret, illas diſſonas voces intellecturus quando vocum moderator, eas temperat, & ſadderteret, quod ad ſingulas voces attentam aurem arrigeret, quam eum indicares muſica modulatis vocibus bene ſonanti delectari? Oratio muſica eſt; quam anima noſtra Deo concinit, quæ diuerſas & multas habet potentias, vt organum fiſtulas, & cythara neruos; oportet ante *Pſ. 150. 4.* orationem, illas diſponi ac temperari: *Laudate eum in chordis & organo.* Orationem, præcedat præparatio: hanc enim omnes vitæ ſpiritualis inſtructores præſupponunt, primo requiri, vt animæ potentiæ colligantur, quietentur, exteriores vero ad omne ſenſibile concludantur. Quid hic negotii, quæ non difficultas? cũ & ipſi Sancti, quando ad orationem ſe diſponunt, multis indigeant viribus vt diſponant intellectum, de terra eum ſubleuent & cœlo inſerant, item memoriam, item phantaſiam imaginatiuam. Ecce quam Deus muſica recreetur orationis: dum enim adhuc te præparando diſtraheris, tecum ipſe luctaris; iam ipſe attentas arrigit aures, iam illi placet, iam delectatur: hoc enim eſt: *Pſ. 9. 38.* *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Quam illi placebit, quales arriget aures, quam recreabitur ipſa deuotione orationis, quæ vt ſuaue fragrans incenſum ex cordis intimis aſcendit, igne accenſa tribulationis?

*In Aſcet.* Hinc colligit D. Nilus, diſcipulus D. Chr. rationem, cur Deus ſæpe taceat, & noſtris petitionibus non tam propere reſpondeat vt deſideramus: noſtram enim ipſe nouit miſeriam, quod eo ſolum tempore orare perſeueramus, quo non accipimus, id quod poſtulamus, & ea iam conſecuti, retrocedimus: ſimiles paſſeribus (ſicut ipſe per Oſeam teſtatur) qui grana colligentes, ilico *Oſe. 9. 11.* auolant: *Ephraim quaſi auis auolauit.* Idcirco nos detinet, tacet, diſſimulat, ſicut cum hac Chananæa, quæ, vt eum vidit non reſpondentem, imo & terga vertentem, illum proſequitur acclamando *Miſerere mei Domine, fili Dauid.*

## §. II. Verbum. *Chriſtus mulieri via verbi non reſpondit, ſed virtutis, vt Dauid ait.*

30 Aliud quoque, quantum coniicio, ſignat Euangeliſta Matthæus, dum non ſimpliciter ait: *Non reſpondit ei*, ſed addit: *Non reſpondit ei verbum.* q.d. Non reſpondit ei verbo: *L. Meditat. cap. 6.* ſed opere, magnum ei præſtans beneficium. Aduertit Dauid & notat D. Bern. Quod aliquando *Pſ. 101. 24.* non reſpondeat Deus verbo, ſed opere. *Reſpondit ei in via virtutis ſuæ;* *Nu. c. 14.* Aliquando enim reſpon- *Luc. c. 18.* det verbo, concedẽs id quod petimus, ſicut Moyſi rogantı remiſſionem peccati populi, reſpondit: *Dimiſi iuxta verbum tuum.* Dicit ei cœcus; *Domine, vt videam:* Cui Chriſtus. *Reſpice.* Leproſus. *Matt. c. 8. v. 3.* *Domine ſi vis, potes me mundare.* Statim reſpondet directe verbo petitioni, ſed via virtutis, id eſt animæ non annuit poſtulatis, ſed dat ei virtutem neceſſariam, & donum maxime conueniens.

*Similitudo.* Præſidet gubernator caſtro præſidiario, ſenio confectus & pauper, ſupplicat Regi, eum hoc onere abſolvat, alio dimoueat, ſe iam nimio labore fatigatum. Iudicat Rex non eſſe ex re illum amoueri. Non reſpondet ei directe verbo, ſed via virtutis, ſuperaddens ei ſex millia ducatorum ſubſidiaria, vel cenſum, ceu titulum quatuor millium ducatorum, quibus ſibi poſſit ſuccurrere, eodem in præſidio remanere; & regiminis labores ſuſtinere. Ita quoque ſæpe reſpondet Deus: non enim reſpondet, dando homini ea quæ petit quia non eius ſic ſuadet ſalus, attamen reſpondet ei via virtutis: nouam ei conferens gratiam, vires magnas, dona cœleſtia quibus poteſt pluribus meritis proficere, & agere virtutum incrementa. Ita reſpondit Deus D. Paulo: bis, ter enim, genibus ſupplex popoſcit a Deo, vt hanc illi præſtaret gratiam, & a carnis tentatione liberaret. Tacet Deus, & multo tempore non reſpondit ei directe verbo, ſed reſpondit, nouam ei dans gratiam, nouos animos, nouos ſpiritus, quibus ad intus, poſſit patienter & meritorum augmento laborem illum ſuſtinere, conſtans, ac firmus cum humilitate ſine peccato permanere. Hoc declarat ipſe Rex Dauid: *In* *Pſ. 137. 3.* *quacumque die inuocauero te, exaudi me; multiplicabis in anima mea virtutem.* Expendit D. Chryſ. alſam lectionem. *In quacumque die inuocaui, exaudiſti me.* *Iſa. c. 58. 9.* Et hoc conformiter, inquit, ei quod Dominus per Prophetas ſuos pollicitus fuerat. *In quacumque die inuocaueris me, exaudiam te, & dicam. Ecce te loquente adſum.* Attende, o Rex Propheta, qua ratione hoc dicit, cum legamus te ſæpius Deum inuocaſſe, qui aliquando tibi non reſpondit, aliquando vero aperte tibi poſtulata negauit? Te ipſum teſtem produco, qui utique ſæpius integras dies, noctes integras ad eius oſtium ſupplex rogaſti, ſed nec tibi reſpondit: *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, &c.* *Pſ. 21. 3.* Tu ipſe obortis lachrymis, ſolo proſtratus, pro filii tui ſalute, ex Bethſabea nati, Dominum es deprecatus, & hoc quoque tibi negauit: quomodo ergo dicis; *In quacumque die inuocaui te, exaudiſti me?* Bene locutus ſum: nõ enim dico, quod ſẽper quando rogaui, mihi poſtulata cũcta cõceſſerit, ſed quod me exaudierit: quia hæc

mihi,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mihi petita non indulſerit, nec à labore liberauerit, nec ærumnis, nec infirmitati finem dederit, conceſſit mihi tamen virtutem, auxit vires, diuinam ſuam gratiam, cœleſtia dona multiplicauit, vt maiori merito poſſem patienter aduerſa ſuſtinere, & hoc eſt quod addidit: *Multiplicaſti in anima mea virtutem.*

Notat D. Chryſoſt. aliam lectionem: *Conſti-*
Ps. 31 *tuiſti animæ meæ virtutem.* id eſt, ſemper me ro-
D. Chr. gantem exaudiſti, conſtituendo, concedendo &
Pſ. 137. largiendo virtutem quandam auxiliarem, quâ
Tom. 1. labores omnes, omnes aduerſitates infractò animo, & multò meritorum lucrò poſſim tolerare. Ex hoc intellige Chriſti verba: *Petite & accipietis; omnis enim qui petit accipit.* Non dicit,
Luc. 11. 9 petite, & accipietis id quod petitis, ſed *accipietis.* Nec dicit, omnis qui petit, accipit id quod petit ſed abſolutè, *accipit*: quia ſi non accipit id quod petit, nec ei Deus verbo reſpondet, accipit id quod eſt illi ſalutare; ſæpe quippe, non nobis conuenit id quod petimus, & nobis Deus id nō concedit, ſed dat nobis vires, ſpiritum, gratiam ſuam, & hoc (teſte D. Greg.) præſtantius eſt beneficium, non nobis laborem auferre, ſed dare virtutem, patientiā, vt alacriter, libenter, magna cum conſolatione, vniformicum Deo voluntate pondus aduerſitatis perferamus. Inſigne fuit illud ac magnificum beneficium, quo Deus clariſſimos ſibi & electos adoleſcentes in Babylonia eſt muneratus: non eis ignem cui iniiciebantur, extinguendo, ſed ſaluificum miniſtrando rorem, qui tali modo ignis temperaret ardorem, vt nedum illos non adureret, ſed pleni diuina conſolatione in medio fornacis ardentis obambularent.

Quali gaudio D. Paulus replebatur, dum
2. Cor. 12. ait: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis*
10. *Gloriamur in tribulationibus*: An decumbis infirmus? pete, quod ſi taceat Deus, nec tibi verbo reſpondet, dando tibi valetudinem priſtinam, tibi reſpondebit viâ virtutis, dabit tibi patientiam, quâ ipſa tibi plus proderit infirmitas, quàm valetudo De inopia quereris? pete, ſi tibi non reſpondeat opes largiens, reſpondebit, dando tibi vires, fortitudinem, & ſpiritum Apoſtolicum, quo ipſa poſſis paupertate gloriari. Hæc omnia piè pius Bernard. *Dices quotidie oro,*
D. Ber. *& orationis meæ nullum fructum video, nemo*
Lib. de *mihi reſpondet, nemo loquitur, nemo quidpiam*
Med. c. 6. *donat, incaſſum laborare videor. Sic loquitur humana ſtultitia, non attendis quid inde veritas promittat, dicens. Amen dico vobis: quia quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis & fiet vobis. Noli ergo vilipendere orationem tuam, quoniam ille ad quem oras, non vilipendit eam. Et vnum de duobus indubitanter ſperare debemus, quoniam aut dabit nobis quod petimus, aut quod nobis nouit eſſe vtilius.* Hoc egit cum muliere hac Chananæa, non reſpondit ei verbo, ſed *Reſpondit ei in via virtutis ſuæ.* Dedit ei fortitudinem, patientiam, perſeuerantiam, auxit fidem, ſpem roborauit, accendit charitatem, deſideria eius viuificauit, cor animauit, quibus ad tantum perfectionis profecit gradum, vt ipſi Chriſto miraculo eſſe videatur.

## §. 12. Accedentes Diſcipuli. *Chriſtus hos eis negat, quod pro muliere hac requirebant, vt eius oſtendat virtutem.*

VT primum Chriſtus huius mulieris audiuit libellū ſupplicem, terga vertit, nec reſpon- 32
dit ei vllum verbum, celeri gradu progreditur, abit, & quaſi illam fugit, illa verò eum proſequitur, & à tergo inſequens, lachrimoſa voce ſæpius ingeminat: *Miſerere mei, Domine fili Dauid* idque tam moleſtè, vt Apoſtoli tædio affecti, Chriſtum adierint. *Rogabant eum dicentes: dimitte*
*illam: quia clamat poſt nos.* D. Chryſ. ex his verbis D. Chr.
colligit, quod ipſa Apoſtolis, tot clamoribus ac *Hom. 38.*
eiulatibus fuerit permoleſta, vt quaſi Chriſto cō- *& 44 in*
quererentur (vt ipſe capit) *Libera nos à moleſtia,* *Gen.*
*libera nos à clamore, quem excitat, &c.* Domine, dimitte illam: quæ nobis ſuis eiulatibus ac ploratibus caput obtundit. Communis Sanctorum opinio credit, hanc Apoſtolorum pro illa interceſſionem actam ex pia commiſeratione: Sancti erant, compatiebantur, videntes mulierem tam afflictam, tanto labore miſeram, proinde Domine: Attende, (amabo te) quàm nobis cor transfigat mulier hæc miſerrima, cuius calamitas noſtra peruadit ac laniat viſcera, placeat tibi eam læto reſponſo conſolari.

Hinc illud primum collige, Sanctos noſtras
adiuuare preces, & ſuas noſtris lachrimis mari- I.
tare interceſſiones: non enim eos Deus minoris Sancti
facit, quam mundi Rex ſuos familiares: & ſi noſtras
hos illi exaudiant, tum quòd eos ament, tum iuuant o-
quòd eos velint honorare, vt omnibus innoteſ- rationes.
cat, quòd apud ſe multa polleant auctoritate: multo magis audiet Deus Sanctos ſuos quos pluris facit, & cumulatius honorat, & vult ſincerius oſtendere quanti eorum apud ſe vigeat ac poſſit ſuffragium. Secundum Nota: cum jam illi non poſſint mulieri dare, quod ipſa petit, hoc ei dant, quod poſſunt, ſcilicet ſua illi fauere

& opitulari interceſſione. Piiſſime dixit, Tobias filio ſuo: *Quomodo potueris, ita eſto miſericors.*
Tob. 4. 8. Pecunia nulla tibi eſt, quam pauperi eroges? dato panem: Nec panis adeſt? dato veſtem, Veſte nudus es? da bona verba, pro eo apud illum intercede, qui illi poteſt ſuccurrere. Apoſtolis Chriſtus reſpondet. *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Sinite illam; hæc non eſt de illo grege ouium, ſed deſcendens ex maledicto Chanaam. O Domine, heu quæ verba tam aſpera, videris ei omnem occludere aditum, & omnes ſpei ſuæ funes reſecare.

In Pſ. 77. Notat D. Aug. Quod quando non vult Deus aliquid concedere, etiam intercedentibus Sanctis, illos prohibet intercedere, ſuffragari, deprecari. Ita dum ſtatuit non vti miſericordia, qua populo ſuo miſericors parceret, non ſemel præcipit Prophetæ Hierem. pro populo non deprecaretur. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & non aſſumas pro eis laudem & orationem, & non*
Hier. 7. 16 & 24. 11 *aſſiſtas mihi: quia non exaudiam te,* Dum pariter determinat non concedere Sauli ea quæ deſiderabat nimirum minas illas renocare, quod ei regnum auferret, præcipit amico ſuo Prophetæ Samueli, vt ſibi de hoc negotio amplius non loquatur, non deprecetur: ac proinde illi ait: *Vſque-*
1. Reg. 16 1. *quo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum.* Et hoc eſt ſecundum litteram, ait D. Aug. quod Dauid dicebat, quando Deus præcipuos totius populi ſtatuerat enecare, quod aures ſuas petitionibus electorum ſuorum occludebat, præcipiens vt tacerent, nec pro eis ſupplicarent. *Occidit pingues*
Pſ. 77. 31 *eorum, & electos Iſrael impediuit.* Ita loquuntur, Deo familiares viri ſancti, quod illis contingat, quando Deus eorum petitionibus non vult acquieſcere, quaſi illis os obturat, ne rogent: de quibus legimus graues hiſtorias. Hoc, vt ſentio, modo Chriſtus egit, qui nedum petitiones non admittit Apoſtolorum, ſed etiam illis os occludit, reſpondens fruſtra eſſe quod pro illa deprecentur: cum non ſit ex ouibus Iſrael à Chriſto congregandis. O Deus miſericordiarum, & totius conſolationis, quam duro mulierem hanc infirmam excipis flagello? Caue, ne illam in deſperationis coniicias laqueum. Non hoc ipſe prætendit: ſi enim illi diſcipuli compatiantur, multo magis ipſe totius miſericordiæ ſcaturigo. Hoc autem agit, ill. anſam porrigit, qua cordis ſui teſtetur conſtantiam, & animi ſui magnanimitatem, vt in illa diſcamus, qualiter cum Deo negotiemur.

33 Expendunt D. Gregor. Nazian: & D. Chryſ. verba Domini ad Iob plena conſolationis, tam illi, quam omnibus ſuis electis. Querebatur vir ille patientiæ ſpeculum, quod Deus illi quaſi nimis eſſet rigidus, proinde ait: *Mutatus es mihi* In Catena græca in Iob. 30. 21
*in crudelem.* Nec ſine ratione: multis enim gemitibus, ſuſpiriis, vocibus querulosis, amaris ſingultibus Deum in ſui rogauerat ſubſidium, tantiſque calamitatibus remedium: ille vero Iob. 30. 21
tacebat; & dum expectat leuamen, longius ab illo diſcedere videbatur, & omnino ab illo flectere, non ſolatus us. Tandem illi Deus ſatiſfacit, noſque cunctos in eo erudit; & vbi noſtra legit vulgata lectio: *Condemnabis me, vt juſtifi-*
*ceris*. Habet verſio, quam SS. Patres Græci ſequuntur, *Putaſne me aliter tibi reſpondiſſe, quàm vt appareas juſtus?* Quid me credis velle, dum te vociferante, ego taceo, & quo tu diligentius inſtabas, eo ego me longius retrahebam? Arbitraris hoc fuiſſe, nolle tibi miſericordiam impertiri? Minime gentium, ſed *vt appareas juſtus*, vt toti mundo tua pateſiat ſanctitas inuincibilis, robur pectoris inſuperabile, patientia nulla fortior, fixa conſtantia, virtus admirabilis: quo enim tempore durabit mundus, ceteris omnibus exemplum eris imitatione digniſſimum, quo diſcant non fatigari, ſi ſupplicantes, clamanteſque non exaudiam, non reſpondeam, quinimo me ſubducam, longius abſcedam. Cur ſcalpello ſartor incidit veſtem holoſericam, niſi vt appareat ſuffultura argento, auroque intexta, quæ ſubtus abſcondebatur? quid intendit Deus dum Abraham amicum ſuum ad tantas adduxit cordis anguſtias, niſi vt eius mundo pateret fides perfecta, ſpes firma, robur pectoris inuincibile? Hoc idem quoque cum muliere Chananæa hodie meditatur, vt teſtentur omnes mulieris fortitudinem, conſtantiam, fidem, quod animo non deſpondeat, ob primam repulſam, ob nullũ Chriſti reſponſum, ob eiuſdem receſſum, ob Apoſtolis impoſitum ſilentium: *Sciebat Dominus reconditam margaritam, quam latere nos nolebat, ideirco differebat, nec reſponſo dignabatur, vt poſteris omnibus mulieris ſedulitas, magna foret doctrina;* D. Chry. Hom. 44. in Gen. Tom. 1.
inquit D. Chryſ. Vt tu quoque noueris, Qua ratione ſit tibi cum Deo negotiandum, quando ille tibi vel non reſpondet, aut tuam repellit petitionem. Penſat D. Iuſt. Martyr verba illa Domini per Iſaiam: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam quando debeam proferre ſermonem.* Dialo. cum Tryph. Iſa. 50. 4.
Ita legit ipſe, quod vulgata lectio habet *Dominus dedit mihi linguam eruditam vt ſciam ſuſtentare eum, qui leſſus eſt verbo.* Si ſapienti conueniat, noſſe quando loqui, quando tacere expediat, arbitraris hoc Deum ignorare? quando tacet ſic

ratio

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ratio poſtulat: quando non reſpondet ſic ſuadet vtilitas: quando te ſuſpendit, nec indulget poſtulata, hoc in tuum cedit emolumentum. &c.

## §. 13. At illa venit. *Orationi neceſſaria eſt perſeuerantia, licet nobis nullus reſpondeat.*

34 ANimum non abiicit mulier, quinimo bene intellectis verbis, quibus Chriſtus Apoſtolorum reſpondit ſuffragio, non hoc attendit, quod eis petita non concedat, ſed tam præclaris ſe cernens mediatoribus ſuffultam, per hoc nouos reſumens ſpiritus, gradum accelerat, Chriſto ſe præſentat, eiuſque pedibus prouoluta, clamat altius: *Domine adiuua me:* O prudens negotiatrix, quam abunde promota in eo, quid neceſſarium ſit, vt oratione fauſtum optatumque adeo Placet obtineas; nimirum perſeuerantia: licet enim tibi verbum non reſponderit, terga verterit, Apoſtolos repulerit mediatores, in eodem tu conſtans perſeueras. Num forſan cœleſtis illius Doctoris audiſti lectionem, quam (Luc.11, 8.) nobis de conditione præſcripſit orationis, *Amen dico vobis, ſi perſeuerauerit pulſans, &c. dabit illi quotquot habet neceſſarios?* Hoc grauiter accipit Deus ſcilicet, quod cum nobis non concedit ea quæ petimus, ilico langueſcimus, & quaſi nos repulſos arbitramur. Hæc Saulis erat inſipientia (quam tam appoſite damnauit Vates Samuel) dũ ſequeſtris ſacerdotibus à Deo poſtulans ſuis ærumnis ſubſidium, Deo autem illi ſtatim non reſpondente præcipit Sacerdoti: *Contrahe manum* (1.Reg.14. 19.) *tuam*, quaſi dicat ſcriptura deſtitit orare: quia orare in SS. dicitur, manus leuare. O caput inſipidum, quam parum eruditus in modo cum Deo negotiandi per orationem quæ tam debet eſſe diſcreta ac ſapiens, quam perſeuerans, ac proinde ſapienter paulo ante improperauerat ei Samuel (1.Reg.13. Pſ.23.1.) *Stultè egiſti.* Hoc elegãter expoſuit orationis inſtructor Rex Dauid: *Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies; & nocte & non ad inſipientiam mihi.* Deus meus, ſol mihi ad portas tuas orietur ſurgente aurora, peroranti: & licet nemo ſit qui reſpondeat, toto die perſeuerabo pulſans. & dum ſic me pulſante præterlabitur dies, nec refero beneplacitum, non ob hoc ſecedam tædioſus, ſed ibidem perſeuerans noctem (1. Similitudo.) tranſigam inſomnis, nec me quiſquam vt ſtultũ reprehẽdet. *Non ad inſipientiam mihi:* Si quotidiano exemplo, quidam primo diluculo, ad domus oſtiũ accederet, fortius, ac ſepius pulſaret tintinnabulum, nec vllus deintus reſponderet, ſicque vſque ad meridiem immotus perſiſteret, ſed nec langueſceret, imo vſque ad noctem perſeueraret tum demum impetu percuteret ædes fortiori, clamores attolleret in cœlum, cuncti qui eum ſic pulſantem, ſic vociferantem ſpectarent, & quotquot in vicinia commorantur, quid aliud illi obiicerent, niſi o ſtultior Terebintho, o barbatenus ſapiens: cum neminem videas tibi reſpondentem, quid pulſando inſiſtis: tibi nobiſque frangis caput. Hoc conſentio quoad eos qui hominum ædes pulſant indefeſſi: verumtamen iis, qui portas Dei pulſant, licet rogent clament vociferentur, die vna, nocte vna, anno vno & altero, & non ſit qui eis reſpondeat nulla erit inſipientia, ſi perſeuerent, quinimo hoc Dominus intendit, & ſtultitiæ ſi diſcedant arguentur hoc etenim ad bonam requiritur orationem, vt ſit perſeuerans, non vna hora, non vno die, non vno anno, ſed omni vitæ tempore. *Non ad inſipientiam mihi.* Non vt ſtultus reprehendat, quia Deus meus es tu: *Deus meus clamabo per diem.* Qualis (Pſ.41.2.) eſt ille Deus? Deus viuus: *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum.* Lymphatici erant Sacerdotes Baal, & vt illos Elinni percitos vidit Vates Elias. Prima etenim luce Deum ſuum Baal in- (L.3.Reg.c. 18.26.) uocabant: *Baal exaudi nos.* Perſtiterunt clamantes vna, & altera hora vſque ad meridiem: quibus tum Elias per iocum exprobrans, ait, *Clamate voce maiori, Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut certe dormit, vt excitetur.* Perſeuerabant, & nullus illis reſpondebat, irridebat eos Elias, & vt ſtultos notabat; quia Baal Deus erat mortuus, exanimis, inſenſibilis, cœcus non videbat, ſurdus non audiebat.

Qui talem inuocat Deum, & continuo ſtrepitu oſtium pulſat eius qui mortuus eſt, illum vt mente captum arbitrare, ſicut enim ad primam vocem non reſpondet, nec reſpondebit ad centeſimam, ad milleſimam. At ego, (inquit Dauid) Deum adoro ſed viuum quem ſcio, quod me audiat, quod me videat, & qui deſideret, ut cum illo vi inſtem orationis. Itaque licet luceſcat meridies, ſol occidat, adueſperaſcat, pulſans, ac clamans perſeuerabo, ſed nec vt rationis inops redarguat. *Non ad inſipientiam mihi.*

Subtiliter expendit D. Chriſoſt. Quam præ- 35 (Ho.49. in Gen.) ciſe narret Spiritus S. ætatis annos Iſaac quando Rebeccæ in matrimonium iungebatur, & illos, quando peperit ei Iacob. Quando nubebat ipſa, Iſaac erat annorum quadraginta, quando

pariebat

pariebat.ſexaginta: ita vt per viginti annos fue-
rit infœcunda. Caſus hic fuit, quàm primùm
nupta erat, & ſe cognouit infœcundam, maritus
eius Iſaac ſupplex ad Deum recurrit: *Deprecatus*
Gen.c.25 *eſt Iſaac pro Rebecca vxore, eo quod eſſet ſterilis,* 21.
II. Quanto tempore in oratione perſeuerauit? vno
die? vno menſe? vno anno? decem? viginti annis
perſeuerauit precibus Deum interpellans, vt
huic occurreret neceſſitati: Et licet, Dei expreſ-
ſum audiſſet promiſſum, de filiorum generatione
quò quis dicat, quòd ab oratione ſurgere potue-
rit. Huic nixus Dei juramento, fide firma cre-
dens, licet Deum non rogaret, ipſe ſuis, Deus
ſtaret promiſſis inuariabilis: non hoc tamen agit
ſed viginti annis perſeuerat continuis precibus
indefeſſus: nec dies præterfluit, quo diuinæ mi-
ſericordiæ non pulſet viſcera vir animoſus.
Quid tibi faciendum, qui, eius quod petis, nullo
niteris juramento, ſeu Dei promiſſo, ſed nec, an
hoc tibi conueniat, ſcientia noſti non dubitata.
Concluſiuum eſt hoc argumentum, at judicio
meo illud omnium certiſſimum, deſumptum ex
Chriſti ipſius facto, quod congruè proponit
D. Hieronymus.

*II. Viginti annis perſeuerat Iſaac in oratione*

Adeſt hora Chriſti paſſionis, cedens locum
carnis timori, ſecedit ad orationem in hortum
Gethſemani: Patrem rogans, *Qui poſſit illam*
*ſaluum facere à morte.* Semel rogat & orat: *Si*
*poſſibile eſt: &c.* Non reſpondet ei Pater: Perſtat
ſecundò & orat. *Pater ſi poſſibile eſt:* ſed nec re-
ſponſum vllum percipiens: tertiò reuertitur idē
rogaturus. *Orauit tertio eundem ſermonem dicens.*
Tandem reſpondet ei Pater per Angelum: quod
fieri ſit impoſſibile, & non expedire id quod pe-
tit. Tum diutius & affectuoſius cœpit orare: *Et*
*factus in agonia prolixiùs orabat, & factus eſt ſu-*
*dor eius ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.*
Modo, dum patitur repulſam, dum ei reſpon-
detur, fieri non poſſe, nec locum habere ſeu con-
uenire id quod petit, regreditur prolixiùs ora-
turus, idem rogaturus. *Prolixiùs orabat:* videtur
enim, quod Pater potuerit illi dixiſſe, quod eſſet
nimis in orando prolixus, ſicut tu quoque dicis
illi, cui poſtquam declaraſti, quod nullus ſit lo-
cus eius petitioni, perſeuerat tamen in rogando:
Vade Domine, nimis prolixus es. Arcanum my-
ſterium, an Chriſtus ignorabat, ſibi non conce-
dendum, quod ſupplicabat? Nouerat optimè, &
licet fuiſſet purus homo, qui hoc ignorare po-
tuiſſet, jam tamen ex reuelatione Angeli noſſe
potuiſſet. Cur igitur rogat id, quod ſibi præno-
uerat minimè concedendum? Ad quid inſtat &
vrget ſæpiùs orando id quod nouit ſic ſtatutum

*Lib. 2. contra Pelag. Heb.c.5.7 Mat.c.26 35. Luc.c.22. 48.*

à Patre, aliter non faciendum? Vt quid auditā
jam vltima reſolutione & ſententia definitiua, Chriſti
locum non dari eius libello ſupplici, reuertitur in ora-
*Prolixiùs orabat?* Vt nos doceat (reſpondit D. tione per
Hieron.) quantis animæ viribus ſit tibi in ora- ſeueran-
tione perſeuerandum, quā tibi à Deo poſcis tuis tiā.
ærumnis ſolatium: ſi enim ille, perſtiterit, opti-
me conſcius, quod eius Pater non annueret pe-
titioni, quanto maiori te decet fiducia plenum
in oratione eſſe continuum: de Dei ſubſidio mi-
nime diffidentem, qui tuis in omnibus opportu-
nus aderit tribulationibus auxiliator? Hoc tuum
eſt, hoc te rogat Dauid diuinis illis verbis: *In* Pſ.61.8.
*Deo ſalutare meum & gloria mea: Deus auxilii*
*mei, & ſpes mea in Deo eſt: ſperate in eo omnis con-*
*gregatio populi, effundite coram illo corda veſtra,*
*Deus adiutor noſter in æternum.* In Deo ſalus no-
ſtra remedium, ſubſidium, omnes in eo ſperate,
omnes rogate, omnes eum inuocare, ſi taceat, ſi
non tibi reſpondeat, ne propter hoc tergauertas
ſed potius reſumptis viribus, coram illo ſup-
plex proſternere, coram illo cordis tui effunde
viſcera, coram illo ſuſpiriis ingemiſce lachrimo-
ſis. *Effundite coram illo corda veſtra.* Crede, confi-
de, noſce: *quia Deus adiutor noſter in æternum.* Sic
ſapiens hæc agit mulier negotiatrix.

*III. Chriſti in oratione perſeuerantia.*

## §. 14. Non eſt bonum. *Hac repulſa prouo- cat Chriſtus huius mulieris fidem, qua hor- tus apparet cæleſtis.*

Retorquet Chriſtus in illam vultum aſperum,
& quaſi nauſeabundus, vel ſtomachabundus
ait illi: Diſcedito hinc canis. Anne bene fecero,
ſi panem filiis abſtraxero, & canibus porrexero
filii ſunt Iudæi, Chananæi, canes, panis, beneficia,
dona gratiæ: Foris canes. *Non eſt bonum ſumere*
*panem filiorum, & mittere canibus.* O Deus opti-
me, an tale verbum ex ore tuo poſſe depromi
quis credat? ſponſa tua, cui vt pote apprime no-
tus, ait, quòd ore tuo non depromas niſi ſuauita-
tes gutture tuo dulciſſimo formatas: *Guttur il-* Cant.5.
*lius ſuauiſſimum,* non ſemel repetit Apoſtolus, 16. 1. ad
dedecere Epiſcopum eſſe percuſſorem. *Non per-* Tim.3.3.
*cuſſorem:* Hoc eſt (interprete noſtro Caietano) & ad Tit.
non decent Epiſcopum amara & grauia verba, c.1.7.
illis enim læditur anima, & medullæ lancinan-
tur. *Flagelli plaga facit liuorem: plaga autem, lin-* Eccl.c.28.
*guæ comminuit oſſa:* teſtatur Spiritus S. De quo 21.
D. Chryſ. fuſe tractat, expendens Dauidem gra-
uiùs multo tuliſſe calumnias, quas illi Semei
verboſus inferebat, quam ipſa opera peſſima,
quibus eum Abſalon filius ſuus laceſſebat, qui
patrem ad eas impellebat anguſtias, vt palam e
ſuo,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſuo, ac vrbe Hieruſalem excedere, & in deſerta
fugere cogeretur; & ratione harum iniuriarum
compoſuit Pſalmum trigeſimum octauum, quo
ſe numquam toto vitæ ſuæ decurſu, tot ærum-
Orat. de ſtit Annæ. nis infelicem fuiſſe proteſtatur. Et Iob plus cru-
ciarunt ignominioſa illa probra, quibus illum
I. propria vxor incitabat, quàm omnia illa damna
Canis nomen probrosum. quæ illi Chaldæi, Sabæi, imo diabolus ipſe in-
tulerant, vt ipſe ſatis aperte demonſtrat in eo
quod illis reſpondit. Quinimo, vt tormentum
cæteris acerbius (inquit D. Chryſ.) Annæ illud
pro moleſtiſſimo ac poſtremo diabolus reſer-
uauit. Quomodo igitur Pontifex piiſſime tali
mulierem cædis flagello? Nomen maximè de-
dignatiuum ac infame quo quis quempiam poſ-
ſet apud Iudæos infamare, hoc erat, eum canem
appellare. Ita Abiſai Princeps Dauidis, ſcurram
illum ac perfidum Semei, canem vocauit, dum
2. Reg. 16. 9. Dauidi opprobriis malediceret. *Quare maledicit
canis hic mortuus Domino meo Regi.* Ita quoque
Hazael, dum ei res minimi momenti ac vilis
proponebatur ab Elizeo facienda. *Quid enim
4. Reg. c. 8 ſum ſeruus tuus canis, vt faciam rem iſtam:* Idcirco
Ad Phil. 3. 2. D. Paul. hæreticos, & Iudaiſantes vocat canes,
vt viles & abiectos. *Videte canes.* Hinc quoq; nos
traximus morem, vt infideles, præſertim Mau-
ros vocemus canes, eo quod viles ſint & cani-
bus immundiores.

En Domine, mulier hæc te vocat filiũ Dauid,
recordare, quæſo, quod ipſe Dauid tam moleſtè
tulerit reſponſum tale, quale illi dedit Nabal,
vt de facto iter arripuerit, turmis ſuis ſtipatus,
vt tam ipſum, quam omnia, quæ ſua erant, tra-
deret internecioni. Rogauit eum Dauid verbis
pacificis: omni humanitatis ſubmiſſione, vt ſibi
occurrere, dum fame premeretur benigne dig-
naretur, cum illi facultas ſuppeteret. Reſpondit
1. Reg. 25. 11. Nabal: *Tollam panes meos, & aquas meas, & car-
nes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo
viris, quos neſcio vnde ſint.* Hoc reſponſo ita con-
tra eum excanduit Dauid, vt extemplo adſcitis
ſibi copiis: recta domum eius verſus tetenderit,
vt eum à quo tanto fuerat læſus opprobrio, do-
mumque eius diſperderet vniuerſam.

27 Hoc quoque, vt audio, huic reſpondes mulieri,
ac per conſequens iuſtã ei præbes turbationis
occaſionẽ. Quid habet, quod ſperet quis tali re-
pulſus opprobrio? Hoc vnũ Domine præcepiſti
diuitibus ne pauperibus eleemoſynã petentibus
vllo modo moleſte reſponderent, aut quo illos
Eccl. 4. 8 contriſtare poſſe videantur. Primo prohibet: *Cor
inopis ne afflixeris.* Demum: *Declina pauperi ſine
triſtitia aurem tuam, & redde illi debitum & re-
ſponde illi pacifica in manſuetudine.*

Hoc etiam inter cætera magis execratur D.
Chryſ. in diuitibus, non quod egenis denegent
eleemoſynam, quam ſupplices deprecantur, ſed
quod eis illam non largientes; eos inſuper verbis
repellant amarioribus, de quibus alias egimus.
Quid igitur hoc eſt Domine? An non ſufficit Tract. 2. num. 532. & ſeqq.
huic mendicæ negare eleemoſynam, eam inſu-
per & verbis adeo probroſis inhonoras, vt quaſi
canem repellas indignabundus? foras canis. O
quàm tibi mulier compatior, quibus te depreſ- II.
ſam lugeo calumniis? quàm non anxius gemeret Similitudo.
nauta pauperculus, hoc in oceano ſuis crudeli-
bus circumcinctus inimicis ac pyratis, qui na-
uim vndequaque inceſſanter oppugnant, qua-
tiunt tormentis, impetu facto ad deditionem
compellunt, ille vero dum ad roſtrorum propu-
gnaculum recurrit, omnibus defenſionis locum
tutiſſimum, primo voces emitteret auxilium
ſibi implorans, nemo illi reſponderet, & poſt
puſillum, qui ſuccurrere putabatur, tormentum
exploderet bellicum tanta glande obarmatum,
vt integram turrim ſolo proſterneret ruituram?
Quid agas miſera nauicula? Et quid tu pauper-
cula Chananæa Video te ad illa triſtia fata
damnatam, quibus lugebat Vates Hieremias op-
preſſam Hieruſalem, dum illud lugubre carmen Thr. c. 3. 4.
ſeu triſtes nænias decantaret. *Contriuit oſſa mea,
circumdedit me felle & labore, ſed & cum clama-
uero, & rogauero excluſit orationem meam. Conclu-
ſit vias meas lapidibus quadris, ſemitas meas ſub-
uertit.* Admiremur modum loquendi: *Concluſit
vias meas lapidibus quadris;* loricam mihi ex la-
pidibus ſectis oppoſuit, vt vel vno paſſu pro-
gredi impoſſibile eſſe videatur. O paupercula,
quibus te premi contemplor anguſtiis, vt de ſe
Iob nobis loquebatur: *Semitam meam circum- Iob. 19. 8.
ſepſit, & tranſire non poſſum, & in calle meo te-
nebras poſuit.*

O grande myſterium. Hortatur nos Apo-
ſtolus vt in tribulationibus noſtris tota fiducia
recurramus ad Chriſtum, vt miſericordiam in-
ueniamus. *Adeamus cum fiducia ad thronũ gratiæ, Heb. 4. 16
vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inue-
niamus in auxilio opportuno.* Quis eſt iſte thronus
Illum deſcripſit D. Ioan. valde conformiter vi-
ſioni eiuſdem throni apud Ezechielem. Vidi,
inquit, thronum agni ſplendidum: *Iris erat in cir- Ezech. 1. & 2.
cuitu throni.* Iris ſymbolum eſt miſericordiæ.
Quaſi diceret, circumdatus erat miſericordia.
Intuetur D. Ioan. quid de throno illo procedat:
*De throno procedebant fulgura, & voces, & toni- Apoc. 4. 5.
trua.* Parce nobis Domine, de throno miſericor-

diæ procedere tam horribilia: Illo modo,quicumque ad illum acceſſerit, illa, quibus ei reſpondebitur, fulgura erunt, tonitrua, terriculamenta, quibus terreatur, deiiciatur, vel vox aliqua terrifica, quæ eum in fugam conüciat. Sic eſt,ſcito tamen, cum ſit thronus miſericordiæ, voces illas, tonitrua & fulgura, quæ de illo procedunt, miſericordias eſſe Dei & verba dare mordacia, vt tonitru, & quod dixeris igues eſſe deſolatorios, dare eſt & magnam præſtare miſericordiam: non enim tendunt ad perditionem, ſed ad lucrum, quibus Deus viam ſternit diuinæ ſuæ gratiæ largiendæ. Ita modo agit, dum mulier hæc ad thronum hunc accedit diuinum miſericordiæ. Hinc exorditur. *Miſerere mei.* Illi reſpondet Chriſtus tonitru, fulgure, horrendis vocibus, vt canem repellit. O quale illud fulgur terrificum! *Non eſt bonum &c.* Conſidera vero, non eſſe ad eius interitum, ſed ad miſericordiæ magnæ beneficium. Non credideris Chriſtum voluiſſe mulierem hanc damnatam iri, aut extingui deuotionis ſpiritum; abſit omnino, ſed ardentius excitari.

Verba quædam dixit Pater æternus ex ore vatis Iſaiæ, deſcribens filii ſui benignam conditionem quæ Euangeliſtæ ad litteram teſtantur in illo fuiſſe impleta, dum tanta homines affabilicomitate exciperet, licet autem huic hiſtoriæ videantur hæc eſſe contraria, tamen ſubtiliter hoc explicant. (*Iſa.c.42.1*) *Electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea, dedi ſuper eum ſpiritum meum, non clamabit &c. Linum fumigans non extinguet.* Contemplare dilectum meum: dedi illi ſpiritum meum benignum, ſuauem: ipſe quoque erit tam ſuauis, vrbanus, manſuetus, vt ne linum quidem fumigans extinguat. Hoc non (III. Allegoria) capio, an hoc non contradicit veritati ſi hic oppoſitum pateat in hac Chananæa: linum eſt flaccidum, ſpe incenſum, oratione ſua fumigans, quam tamen talibus extinguit terminis, vt omnes ei portas occluſiſſe videatur. Clamat primo, cui non reſpondet, intercedunt pro ea medii Apoſtoli, quibus ille, locus non eſt, bonum non eſt, vrget illa, quam vt canem reiicit, & cum canis ſit, ei dare panem filiorum, aſſerit nullatenus expedire: Domine, ſpiritum hunc languentem extingues, deuotionem ſpemque huius pauperculæ mulieris infirmabis. Quomodo tu ille, de quo: *Linum fumigans non extinguet?* Diuina latent hic myſteria. Magnum intereſt diſcrimen inter candelam accenſam, quæ modica luce patet: quia funiculo ſtuppeo vel ellychnio tenero fulcitur, & inter titionem ardentem quem ignis & accendit & omnino peruadit: candelæ ne inſuffles, continuo enim lux eius extinguetur, qua ardet, modica eſt etenim: titioni vero plenis licet buccis inſufflaueris, abſit vt extinguatur, quinimo eo magis accenditur, flammam emittit clariorem, quæ cunctorum perſtringat oculos vicinorum. Multi Chriſtum conuenerunt, beneficia eius petituri, ſed tam modica luce ſplendidi, vt ad vnicum Chriſti flatum extinguerentur: ſicut Princeps ille Synagogæ, hic Chriſtum adiit, deprecans eum, vt filiam ſuam defunctam ad vitam reuocaret, fide tam modica, vt crediderit Chriſtum nihil poſſe operari, niſi vbi præſens eſſet corpore, proinde inſtitit, vt domum ſuam accedere dignaretur, miraculum in filia ſua patraturus. (*Matth.9.*) Idem Regulus, idem cœcus Hiericunthinus, leproſus ad pedem montis & alii. Quocirca illis, accedentibus, & rogantibus non inſufflauit, nullis eos repulit verbis amarioribus. Porro mulier hæc titio erat incenſus, hanc potens charitatis ignis accenderat, fidei luce clariſſima, ſpe ſecuriſſima, profundiſſima humilitate, idcirco Chriſtus ei plenis buccis inſufflauit, & tanto vento diſſipauit, quo licet paruæ candelæ penitus extinguerentur, ille tamen titio, abſit vt extingueretur, quinimo ignis eius magis exardeſceret, quo flammas adeo lucidas emitteret, & ſcintillas adeo ſplendidas produceret, quibus totus mundus illuſtraretur, ſicut de facto monſtrauit reſpondens. *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ &c.*

Perpendit D Aug. noſtro propoſito conuenienter illam ſponſi cœleſtis diſpoſitionem. (*Epiſt.120 ad Hon.*) Erat ſponſa hortus deliciarum in quo conſita videbantur vniuerſa florum, aromatum, & herbarum medicarum genera, hortus ſed concluſus, vt nemini paterent flores odoratiſſimi, aromatum ſuaueſfragrantia non perciperetur. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa &c. Cypri cum nardo, nardus & crocus fiſtula & cynamomum cum vniuerſis lignis; aloe &c.* Quid igitur ages, ſupreme ſponſe, vt odor tantorum aromatum, lignorum, florumque exterius hauriatur? fruſtraneum enim videtur, habere hæc omnia, ſed nec illorum odore paſci, nec viſu recreari Præcipit, & ordinem præſcribit ventis vt perflent hortum, concutiant, & fortiter herbas omnes, omnia aromata, ligna omnia ventilent, ita enim odor ille ſuauiſſimus foras

euapo-

Cant. c.4. 16. euaporabit, cunctoſque recreabit. *Surge Aquilo, & veni Auſter, & perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Hoc te docet experientia, quod flores quamuis odoratiſſimi, tamen ſuum non exhalant odorem, niſi agitati, vel manibus contacti, & quaſi contriti. Habes in cubiculo tuo manipulum, collectum ex ſaluia, thymo pluribuſque fragrantiſſimis herbis, ſi eas ne vel modicum agites, vel manibus conteras, odorem ſuum non exſpirant. Vt autem, inquit diuinus ſponſus florum meorum gratiſſimus odor percipiatur: *Surge Aquilo, & veni Auſter, & perfla hortum meum*: duobus ſibi oppoſitis ventis hoc præcipit, Aquiloni & Auſtro, hortum ventilent. Quid hoc noui querit D. Aug? O quis hortus juſtus eſt, fœtus floribus, herbis, vnguentis cœleſtibus, tot virtutibus redundans, charitate, potentia, obedientia, oratione, perſeuerantia &c. Non patent, non ſentiuntur dum concluſæ detinentur? vt vero earum odor percipiatur virtutum: ſurgat Aquilo, id eſt diabolus, & Auſter meridionalis id eſt Deus, ambo hortum hunc perflent, concutiant, ventilent.

Veritas patet exemplo in Iob; attende quomodo illum ex vna parte diabolus impugnet, perflet, ventilet bona eius, armenta, greges, domum, filios: imo & ipſum Iob? Ad Deum confugit, & ex altera parte tacet Deus, nec illi verbum reſpondet, imo dixeris, quod eum deſerat, quo de nouo virum juſtum affligit & amarius excruciat. Ad quid? Vt per hoc foris exhaletur acceptiſſimus ille virtutum odor, patientiæ, perſeuerantiæ, viuæ fidei, ſecuræ ſpei, & noſtras reficiat animas, noſtras foueat virtutes, ſicut eas & recreat, & odore corroborat. En mulier Chananæa, ô hortus cœleſtis diuino germine virtutum vndequaque fœcundus: nullus eas haurit, nullus eis roboratur. Accurrat diabolus, & ex parte vna perflet domum eius, excruciet filiam, ex altera ventilet eam Deus, clamanti non reſpondeat, turbine tam horrendo concutiat, quaſi concuſſit, dum eam eſſe canem exprobat. In quem finem? *Fluant aromata illius.* Ecce quam gratus odor patientiæ, humilitatis, obedientiæ, cognitionis ſui ipſius, Dei reuerentiæ. *Etiam Domine, nam & catelli, &c.* Iam cape cur Deus pleno ſpiritu incenſo huic inſufflauerit titioni.

Hoc modo agitat Deus Sanctos primæ notæ qui pietate vigent, ſolida, & fundata: quando enim eos duplicatis vexat laboribus, & videtur duriori conterere flagello, tanto magis accenduntur, & flammas fidei, ſpei & charitatis emittunt clariores. Ita Iob declarabatur, vt jam expendimus, dum ei Deus aſſerit idcirco tam crudatilli flagella ingeminari: *Vt Sanctus appareres.* In quas redigit Deus anguſtias Suſannam pudiciſſimam, vt tanto eius virtus inſignior appareret? Quibus non periculis Deus expoſuit Danielem medium inter leonum vngues, vt eius ſpes, fortius ſumeret incrementum? quam dure ſuos habuit Apoſtolos, poſtquam illos jam factos titiones, Spiritus S. igne creauit feruentiores? Quomodo ſanctos Martyres? Quas calamitates, quas perſecutiones non ſuſtinuerunt? quæ tormenta, quos tyranni in illos non exercuere cruciatus, vt fidei eorum lucem aquis extinguerent tribulationum? Conſpirate venti inimici, duplicate, triplicate verbera, vobis cum facibus ardentibus eſt negotium, quas quo maiori vi, & conatu ventilatis, ac exagitatis, eo clarior orbi toti eorum lucebit flamma fidelitatis. Quali Deus probauit, excuſſitque venti labro D. Paulum, poſtquam eum cœleſti ſplendore colluſtrauit? Hinc collige, quam leuis, quam languens ſit tuæ ſpiritus deuotionis, & quam tenerum ellychnium ſpei tuæ, quod minimo flatu tribulationis extinguitur, & leuiſſima occaſione euaneſcit in fumos. Hic optime quadrat metaphora, qua vates Iſaias declarat differentiam, qua Deus electos ſuos probat, & eorum diſcutit virtutem, nimirum ea, ſicut villicus operarius, qui omnia grana, vt illa emundet & in horrea ſua recondat, torturæ ſubiicit; attamen minora, & quæ non ſunt reſiſtendo, vt aniſum, gith, ſinapi, cyminum, leui purgat flabello, maiora vero & duriora, baculo; triticum vero fortius graui premit ferra ſpinis ferreis præpilata, & ſilicibus conterit, vt in puluerem redigi videatur, Iſa. c.28. 27.
ſed non in eum finem, verum vt ab omni palea emundetur. *Non in ferris triturabitur gith, nec rota plauſtri ſuper cyminum circuibit ſed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo, panis autem comminuetur, &c.* De quibus alias latius. Vobis, qui virtute eſtis parui, quos labores tantilli ponderis immittit? Ægritudinem quandam leuem, minimè moleſtam, quam dulci culcitra perfertis, mille cupediis ſuffultam; paupertatem, ita vt vobis numquam panis deſit; perſecutionem, quæ ſi tacueris, euaneſcit. Verum enim vero viros ſanctos, fortes, animoſos, vt frumentum tritici ſelectiſſimum, quibus ferris non triturat, quibus ferratis curribus non conterit eos Dominus emundandos? D. Petrum cruci affigit, D. Paulum gladio tranſuerberat, D. Laurentium

craticula ignita exurit, Diuus Stephanum lapidum grandine præfocat, hanc quoque mulierem aſperâ repulsâ examinat, verbis amarioribus ſupplicem repellit. Hoc autem totum factum eſt, vt grani pateat pulchritudo, & tritici laudetur à tinea non exeſi fortitudo.

### §. 15. Etiam Domine. *Ex opprobrio retulit mulier miſericordiam, ſicut Anna & Eſther.*

39 RESpondet mulier: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Etiam Domine.* Aptiſſima confeſſio, vt Deus illam exaudiat. Enucleat In Pſal. 118. Con. 10. D. Auguſti hæc Dauidis verba: *Vias meas enunciaui, & exaudiſti me.* Ait, quod alii legant: *Vias tuas*; at communis habet lectio: *Vias meas.* Pſal. 118. 29. Quod ſignificat: vias meas, continue: *Confeſſus ſum vias meas.* Luberet modò proſequi, quanti referet in oratione perſeuerantia, quam nos docet prudens illa negotiatrix: licet enim Deus nos ſuſtibus, vt canes abigat, dum aliquid poſtulamus, animo non deſpondeamus, quinimo, tum nouo clamore, nouo ſpiritu reſumamus animos, huius mulieris imitatores, quæ, quantum colligo, Dauidis illa verba capiebat, qui ita quoque faciebat, & declarabat, inquiens: Pſ. 76. 19 *Voce meâ ad Dominum clamaui &c. In die tribulationis meæ Deum exquiſiui, manibus meis, nocte contra eum.* Verba digna conſideratu. Pari Marte (a) luctabar ego cum Deo, & (a) a bra-ço partido meipſum illi opponebam. Tangit hic luctam Iacob, in oratione illa tam feruenti, quam deſcribit Spiritus ſanctus per modum prægnantis luctæ contra Deum ipſum, in qua totam noctem impendebat: ſic quoque tibi agendum, quando Deus poſtulata tibi negat. Redi denuo, reduplica petitionem tuam. Hoc eſt: Pſ. 150. 4 *Nocte contra eum.* Attamen hoc omiſſo, dico, & auderem ego iurare, hanc Chriſtum habuiſſe intentionem, dum mulierem tam duro repellit flagello, nimirum vt illa ex ſe ſonum illum ederet ſibi adeo pergratum. Deus amicus eſt ſonitus, & ſono beneſonantis campanæ delectatur: *Laudate eum in cymbalis beneſonantibus.* Vt autem campana ſonum edat, oportet illam percutere, & tantò fortius percutis, quanto vis ſonus altius audiatur. Hæc Dei mens eſt, dum Sanctos ſuos tribulationibus grauius percutit. Hoc in Iob volebat, quocirca tanto illum verbere percuſſit, vt quis dixerit, quod Deus eum conterere voluerit; vt ſuauem illum ſonum intonaret: *Dominus dedit* Iob. 2. 10. *&c. Si bona ſuſcepimus &c.* Sonus Deo eiuſque cœlitibus tam gratus, quàm diabolo terribilis, quo audito in fugam ſe dedit, victumque declarauit. Ob hoc hodie tam aſpero campanam hanc verbere percellit, velut canem exprobrans, vt huius vi verberis, ſonus ille tam canorus audiretur, quem & ipſi Angeli admirentur. *Etiam Domine: nam & catelli.* Nota, quæſo, cœleſtem huius mulieris philoſophiam, quæ, abſit (inquit D. Chryſoſt.) vt animo fideque deſponderet, tanto opprobrio laceſſita, D. Chry. quinimo illo audito, progrediebatur alacrior: Hom. 39. *Non ſolum eam non abegit dictorum aſperitas, ſed* in Gen. *in maiorem alacritatem excitauit*; & ex eadem Tom. 1. calumnia, qua credebas illam omnino deiiciendam, materiam ſibi ſumpſit nouæ fiduciæ, & ſpei fortioris, imo & ipſum Deum ſuperandi, qui illam tali calumnia repulerat ignominiſam.

Tractatum edidit D. Chryſoſt. Vbi cœleſtem Hom. de & admirabilem expendit Annæ mulieris ſan- fide Annæ ctiſſimæ philoſophiam, Sancti prophetæ Sa- & I. o. 23 muelis olim matris; qua exorſus eſt Spiritus ad pop. ſanctus libros Regum. In eam inſurrexit in do- To. 1. &c. mo ſua mulier ſuperba Phenenna, quæ continuis opprobriis & quotidianis conuitiis in eam graſſabatur: eo quod nulla prole eſſet fœcunda quod eo tempore maximæ infelicitatis, imo & diuinæ maledictionis habebatur iudicium. Talibus itaque criminationibus pia mulier vulnerata, domo diſcedit, Dei tabernaculum adit, cuius tantis ærumnis medelam ac miſeriis rogat miſericordiam. Aliquamo temporis perſtat in oratione, nec pro votis exauditur, tanto feruore, tanto perſeuerat affectu, vt facie & labiis varios edat geſtus: & dum ſibi à Domino ſperat tanto malo remedium, ecce ſummus adeſt ſacerdos, qui illi. Hinc abito, foris ebria: *Vſquequo ebria eris, digere pauliſper vinum quo* 1. Reg. 1. *mades.* O quale conuitium? crederem, omnem 14. eius patientiam in furorem peruertendam: *Domi. exprobrat æmula* (inquit D. Chryſoſt.) D. Chry. *Venis in tabernaculum, & verbis aſperis increpat* Tom. 1. *ipſam Sacerdos, effugerat domeſticam tempeſtatem, venit in portum, & rurſus inuenit vndas venit accipere medicamen, & vulnus exaſperatū eſt.* O quā vrgens occaſio: licet enim ſemper tibi detur commotionis ratio, dum canino quis te dente perſequitur, attamen multo maior eſt, quando ea pateris, dum triſtiori fato ærumniſque

miſer abſorberis, ſicut ictus grauius lædit, quando ea parte infligitur, vbi vulnus ſeu rumor corpus affligit; *Scitis; quomodo animi perturbati, ac in mœrore conſtituti, aduerſus contumelias & conuitia ſunt affecti: dum enim perturbatio*
Pſ.68.29 *perturbationi additur, ingentem & intolerabilem inducit commotionem.* Hanc ; eciam exaggerabat Dauid ; aiens ; *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Intuere nihilominus (hortatur D. Chryſoſt.) huius mulieris diuinam virtutem, quæ lethalibus Sacerdotis huius ſpiculis impetita, non incandeſcit, non commota obtrectat ſacerdoti, quinimo tota humilitate calumniam ſuſtinet, & ex illa ſibi viam ſternit, vt id, quod deſiderat, valeat impetrare. Etiam me vituperaſti Domine: Tu dicis; ſed non mero ſopita at dolore, & mœrore conſumpta lugeo; qui tantus eſt, vt mihi cor medium diuidat, & ob hoc tuum ſupplex depoſco ſuffragium. Hoc ſacerdotis pectus emollitur, ita vt ei quidquid optabat miſericors indulſerit.

Subtilis hæc eſt philoſophia, & eadem huius Chananææ collaudatur, quæ eadem incedit via; dolore quippe concitata & domeſticis agitata procellis, dæmone filiam ſuam male torquente, confugit ad Dei tabernaculum id eſt Chriſtum orat, clamat, ingemiſcit, ſuſpirat, obteſtatur, ſed nec ei Chriſtus reſpondet, & vbi tandem exſpectat pœnarum ſolamen, ecce ſummus ſacerdos eam acriori verbo; foras canis, abigit; at vero o prudens mulier, quæ tantam humilis & tacita ſuſcipit calumniam, inquiens; *Etiam Domine.* Conſentio Domine; quia ego canis ſum: ſed hoc ipſum eſſe canem, ius titulumque mihi præſcribit, vt vel micam tuæ miſericordiæ mihi prætendam, iam nunc animoſior. Hoc enim canibus ius, nullus negat, micas de menſa colligendi decidentes. Inſuper & modo iurare præſumam, quod Chriſtus hoc ei verbum non improperauerit, vt eam pudore confunderet, ſed vt baſim ei ac pedem præfigeret, & ſpei ſuæ, ac prætenſioni iaceret
Iſa.50.4. ſtabile fundamentum. Ait Dominus per Iſaiam *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui lapſus eſt verbo.* Licet autem D. Iuſtin. Martyr exponat hæc verba iuxta aliam lectionem, vt diximus iam ſuperius; tamen multo ſcatent, ſecundum noſtram lectionem, ſacramento. Sed o Domine, potius nunc videris mulierem hanc collapſam verbo vnico protinus conterere, cum eam cané appelles. Quinimo ſapienter admodum canem vocauit, vt eius non concidat fiducia, ſed animos ſumat æquiores; quod ſi me canem indigites, reſpondeo Domine, quod ſim: at propter hoc, & in hoc meam ſtatuo fiduciam: *Nam & catelli edunt de micis*; accipit hoc cognomen, vt ſuæ prætenſionis ſuſtentaculum, & fiduciæ fundamentum.

Perdoctum compoſuit librum D. Cyprianus de modo quo ſunt a nobis de manu Domini flagella recipienda. hunc prænotauit; *De diſciplina & habitu virginum*, ac ſupponit illa libenti ſuſcipienda voluntate, & quaſi duabus manibus acceptanda; hoc enim (ipſo interprete) intendit Dauid; *Apprehendite diſciplinam.* Ratio vero Pſa.2.12.
ea eſt, quia hoc a nobis Deus prætendit, ut noſtra peccata cognoſcamus, quæ tunc veraciter cognoſcimus, quando Dei flagella nobis propter hæc immiſſa, acceptamus, & ea nos, imo multo maiora mereri humiliter profitemur. Ille qui iudicat, pœnam ſibi a iudice inſlictam excedere culpam ſuam, & ab ea appellat, ei repugnat contradicit, hoc ipſo proteſtatur, quod ſuam non credat culpam adeo grauem, vt illam iudex exaggerat.

Hinc oritur illa ceremonia, qua præceptores vtuntur, dum pueros virgis cædunt, & patres filiolos, dum nimirum eis iam caſis virgas exhibent oſculandas, quaſi qui iſta approbatione fateantur, id quod illis eſt dolori, vergere in eorum ſalutem, & quod ipſi illas virgas acceperint in culparum ſuarum ſatisfactionem. Idcirco vult Deus, quando nos ob peccata noſtra durius cædit, virgas exoſculemur: *Apprehendite diſciplinam* monet Dauid, & in Hebræo (vt notat D. Hyeron.) alii transferunt; *Oſculauans* Oſculamini virgas quibus Deus vos caſtigat, dicite; *Etiam Domine.* Sic eſt, Domine, has bene merui. Hoc ſi feceris, poteris tibi his uti in tui remedium. O Domine, verum eſt, fateor, peccator ſum, nec veniam mereor, hæc pœna peccatis meis multo eſt inferior. *Etiam Domine.* Attamen ius habent, Domine mi, peccatores, a tua iuſtitia digne caſtigati ad tuam miſericordiam confugiendi, & eiuſdem ſibi micam arrogandi. Optime mihi conuenit, Domine; hæc infirmitas; non enim bene & ad ſalutem meam vſus ſum priſtina valetudine, quam te grauiter offendendo male impendi; *Etiam Domine*; ſed, o Domine mi, ob hoc ipſum, quod eſt ægre pro delictis meis pœnitentiam, ſuccurre mihi; dignum & iuſtum eſt, Domine paupertatis flagellum, quo me ad micam panis reducis fameſcentem; quia bona mea

I. Peccator ius habet ad Dei misericordiam confugiendi.

in mundi diſſipaui vanitatibus. *Etiam Domine.* Verumtamen vt ſatisfacere poſſim illi, in quo te per illa oſtendi: ſubſidium meæ deprecor indigentiæ.

*In paſtor. p.2.c.6. Pſ.22.4.*

Hoc (inquit D. Gregor.) indicauit Dauid his verbis: *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Diſcrimen eſt inquit ille, inter virgam & baculum, virga percutimus & ferimus, baculo vero ſuſtentamur, innitimur; *Virga percutimur, & baculo ſuſtentamur.* Mirare Dauidis philoſophiam. Domine virga tua, quæ mihi baculus eſt, fuit mihi conſolationi. Quid loqueris, quid o Dauid argumentaris? Ex virga, qua me ob peccata mea percutis iuſtus iudex, compone mihi baculum, cui innitar, miſericordiam tuam petiturus. An me doloribus atteris? His igitur mihi ſeruio, ut peccata dimittas, & præſtes miſericordiam. An me paupertate caſtigas? Illam accepto Deus meus, vt de manu tua, porro tu ille es, cui incumbit, media mihi conferre quibus mitigetur: *De neceſſitatibus meis erue me.* Hanc mulier hæc meretur laudem ait D. Auguſt. Dominus enim eam mordacis verbi percutit flagello, verumtamen ex eo ſibi baculum erigit, cui innitatur, vt fidentius oret: *Quid autem? Num illa hoc repulit? Suſcepit humiliter conuitium, & meruit beneficium. Ita* (inquit) *Domine verum dicis: prorſum verum dicis, vtique Domine, canis ego ſum, ſed & canes edunt* &c.

*Pſ.24.17. D. Augu. in illud Pſ.58 Fames pa- tientur. Tom.8.*

141 Opportuna nobis ad hoc explicandum adeſt Regis Aſſueri Eſther Regina chariſſima. Nulli licitum erat Regis Perſarum adire præſentiam, niſi ei quem rex vocaſſet nominatim, & qui aliter intrare præſumpſiſſet, reus capitis damnabatur, ſi Rex illi virgam ſignum clementiæ non porrexiſſet. Quis non ſtupeat indicium eſſe clementiæ, quemquam virga percuti. Adit Regis præſentiam Eſther non vocata, tota mœrore confecta, proſtrata periculo, quod ſibi, totique populo ſuo certius imminebat. Vt vero ſe rex illi declararet miſericordem; *Extendit contra eam virgam auream quam tenebat manu.* Quid ad hoc illa? Ambabus virgam colligens manibus magno affectu eam oſculatur, & per hoc Rex regia vſus eſt clementia, benigne per omnia eius ſe inclinans petitioni. *Hoc tu quoque facito.* Quid arbitraris, dum te Deus virga percutit tribulationis, ſignum eſſe animi in te concitati? Nequaquam, ſed amoris ac clementiæ. Repetita iam ſæpius eſt illa D. Pauli ſententia: *Quem enim diligit Dominus, corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi.* Vnde & hanc elicit conſequentiam quam D. Cypria. eleganter expendit: *Ergo ſi extra diſciplinam eſtis, adulteri, & non filii.* Num contra te Deus virgam extendit? num paupertate percuſſit? num infirmitate vlceroſa? num anguſtiis, num moleſtiis grauioribus? Oſculamini diſciplinam, virgæ eius ſummitatem, huic innitere, eam tota mentis accepta ſubmiſſione, per hanc tuæ remedium deprecare neceſſitatis. Hinc illud, quod D. Auguſt. notat in electis Dei quo Deus eos acerbius flagellat eo de eius ſperant miſericordia ſecuriores flagella cum humilitate acceptando. Ad hoc exponit illa Dauidis Regis verba: *In tribulatione dilataſti mihi.* An non aduertis, (quærit D. Auguſt.) quod quo ſæuius repetito verbere auri laminam percutis, eo magis extendatur? Ita iuſtorum corda, quo illa Deus ingeminatis percutit flagellis acerbius, eo creſcit & extenditur in eis miſericordiæ fiducia ſecurior; & tanto certiori ſpe aluntur Dei dona recipiendi, quanto maiori ſubmiſſione Dei virgam, taciti venerantur.

*Eſthe.c.5. 6.*

*Hebr.cap. 12.6. Apo.3.19.*

*In Pſ. 54.*

*Pſ.4.1.*

II. Peccatorum confeſſio Dei miſericordiam obtinet.

Optime in rem noſtram D. Chryſoſt. diſputans de publicano & Phariſæo, quos Chriſtus refert in Euangelio. Ambo aſcenderunt in templum vt orarent; Phariſæus propius accedit ad altare ſuam exorditur orationem, quæ tota concluditur propria ſui ipſius laude, & grauibus in publicanum dicteriis. *Deus gratias tibi ago, quod non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, adulteri* &c. *velut etiam hic Publicanus.* Qui hic ad templi ianuas adſtat precabundus, Quid reſpondit Publicanus? omni qua potuit humilitate ſuſcepit ſcommata Phariſæi. *Percutiebat pectus ſuum dicens; Deus propitius eſto mihi peccatori.* q. d. Verum eſt, fateor, quod mihi imponit Phariſæus: illo quippe pectore, nihil præter ſcelera gero peccator omnium primus, quocirca illud percutio, quaſi illis me opponens aduerſarium. Attamen tua ſeruatur miſericordia peccatoribus eis, qui te offendunt, tuam offers gratiam, tua viſcera pietatis. Quid factum? fuit hoc vnicum medium, quo fauſtum felixque obtinuit *Placet*, Publicanus. *Deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo.* D. Chryſoſt. intelligit quod dicere voluerit, illas ſibi illatas à Phariſæo calumnias, & tacita ſubmiſſione toleratas, ſuorum coram Deo præparaſſe peccatorum remiſſionem, *Vides* (inquit) *celeritatem; accepit opprobrium, & abluit probrum; agnouit peccata, & abluit peccata; & criminum accuſatio, facta eſt illi criminum remiſſio, & hoſtis iniuſtus, factus eſt beneficus.*

*D.Chry. Hom.3.de Saule & Dauid & Ho. 61. ad popu. Tom. 5. Luc.18. 12.*

Si dicteria, ſi tanti hypocritæ nempe Phariſæi conuitia, humiliter acceptata tantum potuerint,

tuerint, ad Publicani criminum ablutionem: quanto plus poterunt de manu Domini flagella, de ore Domini opprobria in tuam ſempiternam ſaluationem: Ex hac doctrina ſubtilem colligit

Eccli. 22. 2. D. Bern. conceptum, exponens hanc ſpiritus S. ſententiam: *De ſtercore boum lapidabitur piger.* Quæ licet propoſito noſtro aliena videatur, illam tamen ingenioſe declarat. Quid aruis campiſque vtilius boum ſtercore? Quid magis in terræ beneficium præſtare poteſt agricola, quam totam eius ſuperficiem boum ſtercore cooperire? Illo enim ſic hinc inde deſperſo, tellus incaleſcit, & fructus producit abundanter, meſſemque copioſam. At ſi campi tam peruerſæ foret qualitatis, vt receptum ab agricola ſtercus in ſilices conuerteret duriſſimos, hoc in eius cederet detrimentum, efficeretque vt illud quoque bonum quantumcumque in illo foret ſeminatum, etiamſi excreſceret, exſiccaretur, langueret, deperiret. Ecce quid cœleſtis intendat agricola, dum tibi labores, calumnias & immittit infirmitatem: ſtercora fimumque mittit in campum tuum. Hæc ſtulti ſors ſiniſtra, quod ſtercora tranſuertat in lapides, his obduretur, & qua adhuc vigebat patientia, illam conſumat, languentem ſpem deiiciat, ſcintillas extinguat charitatis, vnde viuit inquietus & exanimatus, deſolatus. Tales vos accuſo, qui tribulationibus a Deo permiſſis, & fœcundo ſtercore impinguari, areſcitis, inſtar ſilicum obdureſcitis, omni fructu ſteriles. & de vobis hæc fabula narratur, *De ſtercore boum lapidatus eſt piger.* Sapiens vero virque iuſtus, ambabus hoc amplectitur manibus, & tanto ſe fortius animat ad patientiam, ac de Dei miſericordia fiduciam, quanto ſe percipit plus a Deo fimo illo ſtercorari; quo fructus profert virtutum, flores odoratiſſimos, gratiarum inquam, actiones, vt alter Iob, vt mulier hæc

D. Bern. ſer. 2. in ſe Chananæa. Audiamus ergo D. Bern. *Non igSS. A- noro ſummum eſſe verbum increpatorum, verbum poſt. Petri improperii, &c. Sed impinguatur, qui increpa- & Pauli. tus benigne accipit, manſuete reſpondet, &c.*

## §. 16. Mittere canibus. *Attende, quod melior eſt canis viuus leone mortuo, & quòd de tenebris Deus lucem educit.*

IAm nunc intelligo (fatetur D. Auguſtinus) 42
difficilia illa verba, & quaſi ænigma, quod l. qq. vet.
Spiritus S. per os Salomonis præpoſuit: *Spes* & no. te-
*eſt in tenebris: melior eſt canis viuus leone mortuo.* ſtam. q. 39
Ita legit D. Aug. quod vulgata noſtra lectio ſcri- Ecc. c. 9. 4.
bit: *Nemo eſt qui ſemper viuat, &c.. melior eſt canis viuus leone mortuo.* Et licet lectio hæc aliquibus non conueniat, aliis autem ſatis eſt conformis, quod modo non vacat explanare. Subtiliter dicit Spiritus S. (ait D. Auguſtinus) *Spes eſt in tenebris, melior eſt canis viuus leone mortuo.* Leo viribus potens, populus fuit Iudaicus, de Gen. 49. 9.
quo Iacob pater: *Catulus leonis Iuda, ad prædam aſcendiſti.* Leo adeo fortis, qui cunctas deuicerat nationes, & earum erat quaſi Rex ſicut leo omnium eſt animalium & ſatis patuit tempore Dauidis & Salomonis, hinc eum Iſaias nomina- Iſai. 29.
uit *Ariel*, id eſt, Dei Leo; quia vt talem cum omnes agnoſcebant, ſeque illi ſubiiciebant, vt populo, qui diuiniis pollebat viribus, quibus eum Deus præ cæteris extulerat. Modo vero mortuus erat ob peccata ſua Leo iſte generoſus, & heri eum Chriſtus vt talem reprehendit. Et ſicut mortuo Samſonis leone inuentus eſt in ore eius fauus mellis, ita in ore populi huius Iudaici, repertus eſt fauus Sacræ Scripturæ. Canis viuus mulier erat Chananæa, hoc ei nomen Chriſtus imponit, & ſe canem ipſa fatetur, & vt canis, currit, latrat, eiulat, & mouetur. Perpende, quod: *Melior eſt canis viuus leone mortuo.* Pluris enim valet illa ſola, quam totus ille grex Doctorum, Sacerdotum, ac Principum; & apud Deum pluris illa ſola æſtimatur, obſequio ſeruit fideliori, fide fatetur ſublimiori, quam illi omnes coniunctim; ſi enim Chriſtus ipſe confeſſus fuerit, dignioris meriti fuiſſe fidem Centurionis, quam cæterorum fides erat Iſraelitarum; idem vult intelligamus de hac muliere, cuius fidei ipſe fuit tibicen altiſonus, vt videbimus, quod inferior non fuit fide Centurionis. Obiicies; ſi tanti fidem hanc faciat Chriſtus, qua ratione eam ita celet abſconditam, & obſcuris contegat tenebris, vt ne vel minimus lucis eius radius eluceſcat? Omnes ſtellæ ei obnubilantur; quia ei dum clamat nullus reſpon- I. Spes eſt
det: Apoſtolos pro illa mediatores Chriſtus re- in tene-
pellit, & tandem videas fiduciæ ſuæ ſolem ob- bris.
tenebrari,

tenebrari, quando aduertit, ſe tam mordaci
verbo, foras canes proculcari. Sic eſt, ita ſic eſt,
aſſerit Spiritus S. ſcito tamen quod, *Spes eſt in
tenebris.* Illæ ipſæ tenebræ, fiduciæ il-
li præſtant materiam, & viam ſternunt petitio
ni: atque illo ex improperio nimirum canis ap-
pellatione ſpem arripit, ſibi deberi panis micas,
miſericordiam fieri, nec illi denegari poſſe,
quod ipſis canibus nullus negat; qui eo ipſo quo
canes ſunt, & ſub menſa dominorum ſuorum de-
liteſcunt ius habent ad micas decidentes: *Spes
eſt in tenebris.* Mirare vetera Dei mirabilia reno-
uata.

Hoc autem vnum inter cætera excellere cen-
43 ſebat D. Paulus, quod in mundi principio legi-
mus factum; quando *Deus dixit de tenebris lucem*
2. Cor. c. 4. 6 *ſplendeſcere*: Creauit terram: *Et tenebræ erant ſu-*
Gen. 1. 2 *per faciem abyſſi*, vt in ea ne minima lucis ſcien-
tilla videretur. Vnde igitur claram educet lucem
quæ recreet omnia? de ipſis cimmeriis tenebris
quæ terram nigro obſcuroque peplo contegunt;
*Dixit de tenebris lucem ſplendeſcere.* Ita ut, dum
Deus terram denſis ac palpabilibus regit tene-
bris, noluerit tamen illam ſic remanere tenebris
immerſam, ſed dare materiam ex qua lucem
educeret, ad vniuerſæ terræ lætitiam ac exal-
tationem. O Terra ſancta, Chananæa fidelis,
quam clare video, quod ipſe te Deus ſpiſſis ob-
ſcuriſque tenebris inuoluat, opprobriis, conuitiis
iniuriis, nec tibi unico vel verbo reſpondet nec
tuas admittit preces; non mouetur lachrimis, nec
ſingultus exaudit, nec pro te rogantes, medioſ-
que ſuſcipit, in faciem tibi exprobrat, foras ca-
nes, quid cani cum pane filiorum, fuſtes cani-
bus conueniunt: nec minima quidem fiduciæ
Iob. 19. 8. tuæ tibi ſupereſt ſcintilla lucis; ingemiſce cum
Thr. c. 3. 2. propheta Iob, *In calle meo tenebras poſuit*, & cum
illa, quam Hieremias inducit plorantem, que-
ribundam. *Me minauit, & adduxit in tenebras.*
Sic ſe habet veritas, attamen ſapienter locutus
eſt, qui dixit; *Spes eſt in tenebris.* Ipſæ tenebræ,
calumniæ, repulſæ, iniuriæ obiecta mihi ſunt
fiduciæ, de his enim educo, ad minus ius ac ti-
tulum meæ prætenſioni; *Etiam Domine, nam &
catelli edunt de micis* &c. Hoc quod ais, Domine,
concedo fateor ſic eſſe, ſed ex hoc ipſo ſic aſſu-
mo argumentum; cum enim ſim canis, ne mihi
negaueris, quod canibus indulgetur micas de
D. Chry. menſa decidentes. *Vidi mulieris conſtantiam* (mo-
Ho. 38. & net D. Chryſ.) *Non aduerſatur, non retrocedit ob*
44. in *verbi contumeliam, ſed audito canis nomine, boni*
Gen. To. 1. *conſulit, & fatetur ſe catellam* &c.

Hinc diſce id quod toties diximus, & ad rem
noſtram tractat D. Chryſoſt. quod Chriſtus in-
tenderit; dum mulierem hanc tot excipit ca- *ibidem ci-*
lumniis, tanta mordet verborum aſperitate. *tat.*
Erat hic diuinus negotiator, quærens pretioſas
fidei margaritas aliarumque virtutum monilia:
vt illa vero inueniret circumbat prouincias, de
vna ad aliam migrabat ciuitatem. Accedens au-
tem ad has vrbes ſteriles Tyri & Sidonis, ex-
plorat in huius mulieris pectoris vena, fodinam
margaritarum ſummi valoris, aurum purum
charitatis, argentum purgatum deuotionis: ne-
ceſſarium eſt, fortiori verbere ac repetitis icti-
bus percutere, pectus hoc totis viribus exca-
uare, vt talis extrahatur in lucem margarita ad
eius laudem & æſtimationem: *Deus, qui nouit ab-* D. Chry.
*ſcondita cordium* (inquit D. Chryſoſt.) *non reſpon-* Ho. 22. in
*det mulieri, volens occultum eius theſaurum omni-* Imperfect.
*bus manifeſtum facere: ſciebat enim reconditam* Tom. 2.
*margaritam, quam latere nos nolebat* &c. Hic
ille modus, quem Deus cum electis ſuis obſer-
uat; vt virtutum theſauros effodiat quos animo
ſuo latentes non manifeſtant.

Hoc iterum declarat per Iſaiam prophetam
ſub vineæ ſibi dilectæ ſimilitudine. Supponit 44
primo; quod huius vineæ vigilem adeo ha-
beat curam, vt numquam ab ea ſuos diuertat
oculos, die, noctu, mane, veſperi. Ac hoc
eo modo, licet totum moderetur orbem,
quaſi eius ſupremus Dominus, tamen quidquid
habet ſolicitudinis, quidquid curæ, totum re-
colligit, & quaſi conflat in vnam, quam ge-
rit de vinea ſua, ſolicitudinem: *Vinea meri* Iſa. 27. 2.
*cantabit ei, ego Dominus, qui ſeruo eam, repen-
te propinabo ei, ne forte viſitetur contra eam, no-
cte ac die ſeruo eam.* O quis nobis exponet,
quam ſit Dominus pro iuſti anima ſolicitus,
quam apertos ſuper eam defigat oculos; vt vero
hoc intelligamus toties illud repetit; *Seruo
eam.* Licet autem illam tantopere diligam
(ait Dominus) *Repente propinabo ei*: quid ei
propinat? labores, medicas amaraſque potio-
nes. Et forte ſignificat, id quod agis cum
vinea ſua ſedulus agricola, qui illam putat, &
ſuperfluos ſtolones, ſeu palmites reſecat luxu-
riantes, talem reddit, vt qui eam videt, vi-
neæ agriculturæ ignarus credat, vinitoris,
eam eſſe mentem, vt omnino vineam diſper-
dat, & radicitus euellat. Has amaras potiones, ac
hauſtus inſipidos propinabo (dicit Dominus) vi-
neæ meæ, extremis iniiciam anguſtiis, & dum re-
medium præſtolabitur, accurram illi, ſed laborio
ſa reſe-

reſecatione, cunctos eius amputabo pampinos luxuriantes. *Repente propinabo ei.* Quid hoc Domine, an ſic tibi dilectam excipis vineam? an illi indignaris? an eam dedignaris? Nequaquam, ait Dominus: *Indignatio non eſt mihi. Quis dabit me veprem & ſpinam?* Eam tanta tractare ruditate ac feritate, non eſt indignantis, non eſt dedignantis, nec enim illam aſpernor, illi nec ſuccenſeo: à natura mea hoc prorſus eſt alienum: ex me etenim ſpina non ſum, quibus pungere, lædere ac mordere eſt naturale. Quæ igitur tua Domine intentio, quæ mens? Hoc idem intendo, quod vineæ fructiferæ cultor operarius cuius radix magna viget virtute & ſucco fortiori: hanc enim reſecat, & amputat ſtolones ſuperfluos, vinearum ſarmenta, quo, credit ignarus, vineam diſperdendam, illa verò producit pampinos pulcherrimos, palmites virides, frugiferos, quibus & paſcor, & recreor: *Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi.* En quæ phraſis loquendi. Cognoſce modò, quæ mea ſit in hoc voluntas: vt me ſcilicet recreet, vt validos producat pampinos, quibus me vinculo pacis ſibi copulet arctiſſimè: & tantò ſtrictiùs eius mihi ſpes colligetur, quantò longiùs à me repulſa eſſe videbatur, vt dicat modò. *Etiam Domine: nam & catelli edunt* &c.

☞ 45 II. *Diverſo modo excipitur Centurio, & mulier Chananæa.* Hinc educit D. Chryſoſt. differentiæ rationem quâ Chriſtus excepit mulierem & quâ Centurionem. Iacebat Centurioni ſeruus in domo paralyticus, ad Chriſtum confugit, ei ſuam exponit neceſſitatem: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Illico reſpondet illi Dominus placido vultu, voce benigna, totus beneficus: *Ego veniam & curabo eum.* Et loquendo, & faciendo aggreſſus eſt iter: *Et Ieſus ibat.* (*Ho. 22. in imperfect. ſuper Matth. Matt. 8. 6.*) Huic mulieri filia decumbit male à dæmonio cruciata, confugit ad Chriſtum cui ſuam exponit neceſſitatem, ſupplicat: *Domine filia mea male à dæmonio vexatur.* Et nedum ad eius non graditur ædes, ſed continuò diſcedit: & feſtino gradu viam carpit oppoſitam, quaſi ab ea fugiens. Vt dicit D. Marcus; & nec ei vnico reſpondet verbo; ſi verò illi loquatur, hoc eſt, vt eam quaſi canem abhorrens repellat, quæ, quæſo te, contrarietas hæc? Si, mulier Gentilis, Gentilis eſt & Centurio. Si fuerit idololatra, pariter fuit & ille. Mulier ſi non ex ouibus Iſrael, nec ille. Iam de hoc fuſiùs egimus. Verum enim vero de hoc audiamus D. Chryſoſt. (*Ho. 22. in imperfect. ſuper Matth.*) Supponit Chriſtum electorum ſuorum honorem promouere, mundo eorum merita, virtutes heroicas donorumque pateſacere prærogatiuas; & quia ad hoc multùm referunt, & requiruntur media contraria, idcirco illis vtitur. Videbat in corde Centurionis eminentiſſimam fidem, ſed latentem; ſi autem eum beneficiis ſuis afficeret, quod fidem illam manifeſtaret: & videndo quòd Chriſtus eum tanto dignaretur honore, ipſe domum eius properè accedens, coram tota populi concione hanc veridicam, & ſublimem emitteret profeſſionem: *Domine, non ſum dignus* &c. *Sed tantum dic verbo*, tanta fide vt eam Chriſtus audiens, admiraretur: *Videns Ieſus miratus eſt.* Ad hoc igitur tanto eum fauore dignatus eſt.

Porro in hac muliere, aliam agnouit fidem, quæ illi non cedat, abſconditam & ſub nomine, ſtatu, conditione Chananææ deliteſcentem, cognoſcit autem illam dicteriis, iniuriis, & aſperâ repulſa propalandam: verbum autem mordax ac ignominioſum illi fore, vt amputatio palmitum in vineis Engaddi, quæ per illam balſamum exhalant odoriferum, & fragrantiam ſpirant ſuauitatis: quis hic odor, quæ fragrantia tanta ſuauitatis? Fides adeo viua, humilis adeo confeſſio, ſuiipſius, ac Chriſti diuinitatis tam diſtincta, tam ſublimis, tam vera cognitio, vt eam Chriſtus ſtupere videatur: *Fidem eius obſtupeſcit* (inquit D. Chryſoſtom.) In eum igitur finem pro more ſuo Chriſtus eam excepit ſeueriùs. (*Ho. 3?. & 44. in Gen. Tom. 1.*)

Attende (inquit idem Doctor.) Quòd motu proprio ad ædes tendat Abrahæ, ſub trium habitu peregrinorum, qui tres perſonas diuinas referebant: vt orbis cernat vniuerſus pectus illud Abrahæ charitatis igne, velut fornax inflammatum, qui locum non cederet ardentiſſimis ſolis meridiani radiis, ne ſibi noceant. Poſt hoc autem illico progrediens Sodomam moras nectit, & ædes Lot ſubire paululum detrectat vt in eo eadem quoque pateſiat charitas tam feruens, vt ei vim inferat, quatenus ædes ſuas honoret peregrinus: *Oppido compulit illos, vt diuerterent ad eum. Sic ad Abraham ibat* (teſtatur D. Chryſoſtom.) *Vt nos eius ſummam charitatem percipiamus, & ad Lot ingredi nolebat, vt inaudita eius hoſpitalitas non lateret.* Hoc idem hic quoque percipe: *Ibi ſe iterum offerendo, Centurionis, hic prorogando, & quaſi renuendo, mulieris fidem cunctis aperuit.* (*Ho. 12. in Gen. c. 18. — Gen. 19. 3.*)

Illi ſint, oportet, hi duo venti contrarij, quibus diuinus ille ſponſus horti ſui flores impugnat; Aquilo, qui niue geluque conſtringat, & Auſter qui calore foueat & adferat vbertatem: *Surge Aquilo, & veni Auſter* &c. Ponderat Brixian. optimè verſatus in lingua Hebraica, quòd (*To. 1. fol. 140. verbo Horah.*)

in illa ſententia Eliu amici Iob, in qua loquitur de Deo : *Nullus ei ſimilis in legiſlatoribus* , ſit quoddam verbum, quod ſignificet, arcum tendere, vnde ſic legi poteſt : *Non eſt ei ſimilis in iaculatoribus*. Nullus iaculator tam dextra manu ſpiculum eiaculatur : eo enim modo, & ratione qua vult, iaculum librat : quoſdam ſagittis ferit lenioribus, donis, beneficiis, gratiis ad pedes ſuos ſibi proſternit, & eorum cordis intima producit in lucem ; alios vero ſagittis venenatis, doloribus, tribulationibus, & opprobriis transfodit inopinato corruentes. Prætendit autem illorum heroicas declarare virtutes, & electorum patefacere prærogatiuas. Hoc verò tanta agit ſinceritate, vt ſæpius pro eo quòd hi maiori honore digni haberentur, & eorum coram mundo virtus agnita coleretur, ille è contra talia facit, quæ in eorum detrimentum, & ignominiæ quaſi notam declinare videantur, vt in ſimili occaſione notat D. Ambroſius.

*Iob 36. 22.*

Quis Chriſtum non arguat crudelitatis, qui modum attendit, quo hanc mulierem excipit, & verba duriora, quibus illam quaſi repellit à ſe nauſeabundus ? Ille qui nihil præter miſericordiam reſonabat, qui nihil aliud inculcabat, quàm proximi ſui neceſſitati eſſe ſubueniendum. Ille, qui motu proprio quærit quibus benefaciat, qui in ſe figuram exprimit benigniſſimi paſtoris, qui ad vnius ouis inquiſitionem, montes oberrat, pericula non timet, inuentam autem propriis baiulat humeris, quis dicat, quod ipſe ne vno quidem verbo mulierem hanc afflictam ſolari dignetur, ſed inſuper afflictam crudius affligit, nouis improperiis, aliis iniuriis animum eius exulceret, vt cum Dauide conqueri poſſe videatur : *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt* ? Ne miretis, tranſeant hæc omnia, modò mulieris huius pectoris pateſiat fortitudo, & quantum opinor, vult eam aſpero ſermone vellicari, vt cuncti conſpiciant quanta ſit mulieris huius eminentia virtutis, & tali in Eccleſia ſua honore celebretur, vt per omne ſæculum, eius fides viua decantetur, cæteriq́ue iuſti virtutem eius, & in oratione conſtantiam admirentur. O ter maxime Deus, quàm congruè illi liceat dicere, cui tua nota eſt conditio & agendi conſilium : *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus.* Habes modò apertam rationem (inquit D. Chryſoſt.) cur mulierem hanc tot agitari tempeſtatibus : *Vt illam ipſam in toto orbe nobilem faciat, aſperiùs illam concuſſit, ſciebat enim fortitudinem mulieris.*

*Pſ. 68. 27.*
*Pſ. 138. 17.*
D. CHR. *Ho. 39. in Gen. To. 1.*

§. 17. Etiam Domine. *Chriſtus amat & cruciat, vt Ioſeph, ſi vero nos tribulationem voluntarie ſuſcipimus, vt mulier hæc, erit nobis vtiliſſima.*

ALiam nobis & proficuam prælegit hæc prudens negotiatrix lectionem, quâ nos inſtruit, quo ſint animo recipiendæ tribulationes, quibus nos Dominus viſitat, vt illas voluntarias faciamus, illas extentis manibus ſuſcipiamus, & patienter perferamus. Hoc tibi perſuade, (perſuadet D. Gregor.) Deum nulli permittere tribulationes, ea mente quâ illi optet malum, nequaquam, quinimo illas his immittit quos habet ſibi chariores. Hoc ipſum proteſtatur Salomon : *Quem diligit Dominus, corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi* : Et iterum : *Ego quos amo, arguo & caſtigo.* Reuoca ad memoriam (ait D. Gregor.) celebrem illum Ioſeph, quàm ſæuè debacchatus eſt in fratres ſuos, modò illos, vt inſidiatores regni accuſans, modò vt prædones redarguens, & quos ita liuido ore mordebat ſæpius ac acerbiùs, fratres eius erant : *Quaſi ad alienos duriùs loquebatur.* An forte odio germanos fratres inſectabatur ? An vt illis malum optaret, tot preſſit anguſtiis ? Erras, ſi hoc credideris : quinimo eius præ nimio erga fratres ſuos amore viſcera liqueſcebant, quibus & conuiuium iuſſit præparari quibuſlibet cupediis inſtructum : tantumq́ue illis deſiderabat bonum, vt præ amore lachrymas nequiuerit continere, dum eos videt inexſpectata forte miſerandos, vt autem illas diſſimularet, opus fuit in partem ſecederet eaſdem deterſurus, oculos abluturus, ne flentem annotarent. Quàm pari greſſu procedunt amor & cruciatus ! *O Tormentum miſericordia* (exclamat D. Gregor.) *Amat & cruciat.* Amat & ob hoc cruciat, vt enormis illius ſui peccati recordentur, quod in eum admiſerant, dum eum morti dare & perdere cogitabant, deiicientes in ciſternam, & tandem vt mancipium viginti argenteis diſtrahentes, perduelles fratricidæ.

*Ho. 11. in Ezech. ad finem.*
*Prou. 3. 12.*
*Apoc. 3. 19.*
*Gen. 42. 7.*
D. GRE.

O bone Deus : quis ſinceriori diligit affectu animas, quam tu ? *Qui amas animas.* Dixit Spiritus S. Quis plura pro illis fecit, quam tu ? Hæc paucis verbis expendit D. Auguſt. *Perieram, abieram in peccatis, venumdatus eram, veniſti pro me, vt redimeres me, & tantum me dilexiſti, vt ſanguinem tuum in pretium dares pro me.*

*Sap. 11.*
D. AVG. *L. Solilq. c. 13.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*me. Dilexiſti me Domine plus, quàm te: quia mori voluiſti pro me.* O quæ verba, profunda conſideratione digniſſima! Nihilominus: *Amas & crucias.* Quos ſincerius amas, eos duriori ſubiicis torturæ, non vt illos perdas perituros, ſed vt illi ſe cognoſcant peccatores, reatum ſuum fateantur, ſordes eluant peccatorum, meritorum proficiant incrementis: nihil etenim eſt, quo theſauros Sancti lucrentur ditiores meritorum, quàm laboribus, ærumnis & aduerſitatibus. D. Chryſoſtom. trutinat parabolam illam talentorum, qua Dominus ſeruis ſuis diſtribuit, bonorum ſuorum partem, vt illis ſibi in lucrum negotiarentur, eorum ſymbolum bonorum, quæ Deus electis ſuis elargitur, vt cum eis negotientur. Obiicies, Domine, mihi nullum dedit talentum: nec corporis valetudinem, nec opes, nec dignitatem, nec in Republica honoris ſtatum aut æſtimationem: nihil in me reperio: niſi defectus, inopiam, dolores, anxietates. Illa ſunt igitur (inquit D. Chryſoſtom.) talenta ditiſſima, quibus lucrari poſſis & multo fœnore negotiari: plura enim lucrari poteſt animæ ſuæ rerum omnium indigus ipſa ſua paupertate, quam ſuis opibus diues; & ſuis ærumnis miſer, quàm ſua valetudine robuſtus. Exemplo tibi ſint Apoſtoli, quos dixit amicos ſuos, fratres ſuos, ſuos familiares, ſancti omnes, quos cæteris voluit fieri ditiores, nulla alia illis tradidit talenta præter hæc, infirmitates, labores, vexationes, perſecutiones, opprobria, de quibus alias. Qua ratione igitur illis ego lucrum faciam? Quomodo cum illis negotiabor? Hoc te prudens illa docebit negotiatrix. Calamitates illas ineuitabiles, quibus te Deus flagellat quas fugere, dimittere, declinare non licet, fac voluntarias: hoc age, quod communi phraſi proloquimur, fac de neceſſitate virtutem, illas accepta, vt pœnitentiam, quam tibi imponit ſummus Pontifex Deus, in tuorum remiſſionem peccatorum, & quas prius propria & placita non recepiſti voluntate, modo illas placido vultu, & grato animo accepta. Quando tibi illas Deus permittit; dicito, cum hac muliere. *Etiam Domine*, hoc enim modo erit tibi labor ad quietem, malum ad bonum, mors ad vitam.

☞ 47 Hoc conſilio quondam inſtruxit D. Hieron. nobilem Romanam mulierem, nomine Furiam, ex illuſtriſſimo Camillorum ſtemmate progenitam. Emoritur illi Probus coniux vir conſularis, remanſit illa ſuperſtes vidua, iuuenis, & licet diues, diuerſis tamen ac grauibus ærumnis miſeranda. Illam exhortatur Diuus Hieronym. (D. Hie.) hanc ſumat de manu Dei aduerſitatem, intelligat quoque, quòd illud, quod ſibi videtur & credit eſſe ſignum commotionis diuinæ, miſericordia reputanda ſit ſibi à Deo facta: vt conformi cum Deo voluntate, bona lucretur infinita, cœleſtia numquam peritura, & commune adducit prouerbium; *Arripe quaſo occaſionem, & fac de neceſſitate virtutem.* Explicat hunc conceptum D. Chryſoſtom. Luges te morbis attritum, quos totis viribus nequeas curare? A me conſilium quæris, & malo tuo remedium? *Qualiter potero, non à tribulatione ſubuerti?* Hoc tibi explicabo: *Cogita, quod ſiue velis, ſiue nolis illam patieris*, & ſi hanc non feras patienter, nec tribulationem voluntariè accepies, corporis tribulationi quam ex infirmitate pateris, ſuperaddes animæ tribulationem tuâ impatientiâ, ſicque duobus malis opprimeris: *Si gratè quidem, maxima lucraberis: ſi verè ægrè ferens, & ſuperbiens maiorem reddes procellam.* Præclara valde ſunt illa exempla, quæ in huius doctrinæ profert confirmationem. *Filium quis amiſit, alter totam rem. Si cogitaueris, quod factum ſolui non poteſt, poteſt autem ex inſanabili calamitate aliquid decerpi, caſum generosè ferendo, & pro blaſphemiis, Domino benedictionem referendo, ita mala non voluntariè illata, tibi fient libera merito voluntatis. Vidiſti filium ante tempus raptum? Dic, Dominus dedit, Dominus abſtulit &c. Vidiſti malos proſperis vtentes, & iuſtos aduerſis laborantes, & innumera patientes mala &c.*

Ep. 10. ad Furia. Tom. 1.

D. Chr. Ho 64. ad pop. To. 5.

Declaratur autem hoc ex illa doctrina, quâ Sancti perpendunt materiam de concubinis, quam tractat D. Thom. Cum mens Dei ea fuerit, vt mundus in hominibus multiplicaretur, permiſit in eius exordio, & poſt diluuium, vt viri pluribus coniungerentur vxoribus, & hoc nominatim quibuſdam iuſtis Patriarchis. Attamen eo hoc fiebat modo, vt vna earum eſſet primaria, marito natalium celſitudine non inferior. Aliæ verò erant ancillæ iuniores, vilioris conditionis, quæ communiter fortiores ſunt, robuſtiores ac fœcundiores. Realiter vxores erant: quibus viri copulabantur, ſed ſub manu, & ſubiectæ; vt Salomon qui ſexcentas duxerat in vxores, & plurimas alebat concubinas. Particulariter tamen ſeruiebant hæ, quando primariæ vxores erant ſteriles, nec viris ſuis liberos gignebant: tunc enim illæ ipſæ, ex filiorum deſiderio, viris ſuis perſuadebant, vt ancillis ſuis ingererentur, & earum filios, vt proprios adoptabant. Ita in hiſtoria Abrahæ, hoc aduertimus impletum; ſed particulariter in Iacob.

In 4. ſent. diſt. 33. q. 1. a. 3. q. 3.

I. Allegoria.

Optat matrimonio iungi cum Rachel, ſubſtituit illi Laban Liam, & dedit illi concubinam Zelpham ancillam. Poſtmodum verò ſuſcepit Rachel in vxorem, illi quoque dedit ancillam Balam. Parit Lia quattam prolem, & parere deſtitit. Statim verò hoc curat, vt maritus ſuus in vxorem ſumat famulã Zelpham, cuius filios Lia ſuſcepit, & vt ſibi proprios in domo nutriebat. Rachel dolet ſe ſterilem, & viro perſuadet vt Balam ancillam ſuſcipiat ſibi in vxorem, qua pariente, filios illos in ſuos adoptauit. Proinde in numero duodecim Patriarcharum recenſentur. Duas habes vxores, vnam nobilem, animam ſcilicet, ignobilem alteram & ancillam, nimirum carnem. Vtraque filios parit. Carnis filij ſunt, fames, peſtis, morbi, calamitates, mors. Animæ verò, oratio, deuotio, fides, ſpes, charitas &c. Optas carnis filios, vt legitimos adoptari? Illos ſuſcipiat vxor principalis anima, admittat & ſuſcipiat vt filios ſuos famem peſtem, ſitim, ærumnas, morbos. Illos ſuſcipiat, & inter filios ſpiritus numerabuntur. O quantum poſſes his tribulationibus mereri, quas excuſare, diuertere, declinare non potes, ſi illas vt voluntarias ſuſciperes, adoptares vt proprias cum omni mentis ſubmiſſione patereris, & in tuorum ſcelerum eas offerres remiſſionem!

Non leuiter tranſeamus, quantis laudibus extollant Doctores mendicum Lazarum, ob ſua ſtricta ieiunia. Tertullian. *a* præſertim verò D. Baſil. *b* Lazari ieiuniis illud tribuit, illa ea fuiſſe quibus commeruit, vt morientis animam Angeli feſtiuo comitatu deferrent in ſinum Abrahæ refouendam: *Quis Lazarum in ſinu Abrahæ requieſcere fecit? Nonne ieiunium?* Res hactenus inuſitata, res noua. Audiuimus quidem Lazarum de inuicta patientia laudari, quâ dolores ſuos, ærumnas & extremam paupertatem perferebat inculpatus, ſæuitiam quoque non ferendam diuitis epulonis ac ſuorum ſeruorum, quâ miſerum afflictumque crudeliùs affligebant, illo tamen neminem accuſante, nec vel modicum queritante. Tandem inter lambentium ſibi vlcera canum linguas emori; ſed nec ob hoc expoſtulantem ſumus admirati. At de ieiunio, quis eum meritò extollat, cum illi hoc eſſet neceſſarium; quod meritum eius, quod animi robur, ſi ieiunet ille, cui ne mica panis quâ famem poſſit depellere, & ventris eſuriem ſaturare? Concedo, hoc illi ieiunium fuiſſe neceſſarium: egeſtate enim laborabat extrema, nec quod ori ingereret, habebat vel fruſtum panis. Attamen egeſtatem hanc fecit voluntariam, integra acceptans voluntate, famem conſtanti perferens patientia, ſicut etiam paupertatem, morbos, ærumnas, vulnera, quæ ſibi à Deo credens immiſſa, ſuſcipiebat: *Etiam Domine.* Perplacet mihi Domine, voluntariè Domine hæc patior: hæc etenim & multo plura mea merentur peccata, & hæc ſors mea optima te Domine, mei recordari, hoc quoque tibi placeat quod me tuæ cernas conformem voluntati.

*a L. contra Phyſicos, & lib. de cibis Iudaicis.*
*b Ho. 1. de ieiunio.*
*Luc. 16.*

II. Lazari paupertas erat ſolutaria.

Illa voluntatis ſuæ reſignatione, tot meritis diues claruit D. Iob tot ærumnis, aduerſis, & tentationibus ſuper eum irruentibus vndequaque perculſus, quæ licet illi contigerint, illo ea non aſſumente, ſed Deo permittente, voluntaria tamen effecit, in omnibus hanc Deo concinens laudem gratiarum: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus? Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.* Notate verba, ſignate myſteria: *Suſcepimus.* Ambabus vlnis amplexati ſumus bona, amplectamur & mala. Nihil nobis magis neceſſarium, quam ipſa mors; ſententia enim à Deo lata eſt irreuocabilis: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Nihilominus opinatur. D. Ambroſ. quod mortem illam, Deo poſſis tam gratum offerre ſacrificium, quàm fuit illud Abrahæ Deo gratum: & hac de cauſa Pſalmum explicat 115. vbi Dauid diligenter inquirit, quod Deo poſſit offerre ſacrificium acceptabile in beneficiorum, quæ à Deo acceperat iuſtam retributionem: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Sic te oportet eſſe ſollicitum, ſi te gloriaris virum eſſe virtutis, ſi enim talis non eſt, cui illud parum non eſt gratum, quod in eius gratiam ſuus præſtat vicinus, minus erit, cui gratum non eſt illud multum ſibi à Deo præſtitum. Multa tibi ô Dauid occurrunt ad Dei gloriam facienda. Millenos agnorum, arietum & caprarum greges Deo immolare, ieiunare, dare eleemoſynam, Dei iniurias vindicare. Bona ſunt hæc, fateor; verumtamen illud ſentio Deo fore omnium gratiſſimum, de manu eius voluntariè calicem illum amarum ſuſcipere paſſionis, quam propinat: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.*

III. Similiter & Iob & Dauid.
*Iob 2. 10.*
*Hebr. 9. 27.*
*L. de bono mortis c. 3.*
*Pſal 115. 12.*

Hoc præ cæteris Deo perplacet, hilari mente, voluntate pia de manu eius acceptare calicem, ſanctum eius nomen inuocando. Deo grata ſunt, quæ agis opera bona, ſed quod maximè illi ſatisfacit, hoc vnum eſſe credito, vt patienter & indolenter ſuſcipias ignominias, opprobria, tribulationes, ærumnas, eaque omnia profunda

humi-

humilitate, diuinæ eius offeras voluntati: dicito cum Chriſto, calici, quem tibi propinat ebibendum: *Fiat voluntas tua* Et cum omnium terribilium, terribiliſſima ſit mors, ſacrificium omnium gratiſſimum, (teſtatur David) quod ſancti Deo litarunt, illud iudico, quòd animo infracto, voluntate Deo conſona, illam acceptarunt, vt quid ſibi de Dei manu proveniens pretioſum: *Pretioſa eſt in conſpectu Domini, mors ſanctorum eius.* O quàm magni meriti & coram Deo mors hæc pretioſa, quando vir iuſtus eam ſibi cernens iam imminentem, lætus exclamat: *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Benedictus Dominus Deus meus, qui mihi illam immittis mortem, quâ animæ meæ vincula dirumpantur; illa, quæſo, ignis ſit, quô peccata mea & purgentur & eradantur. Idcirco cantat Eccleſia pſalmum hunc in feſto Sanctorum Martyrum: erat enim hæc illorum mors ſacrificium, quod obtulerunt Deo gratiſſimum; accipientes de manu Domini calicem hunc cruciatuum ac mortis, & Deo litantes, occinebant: *Etiam Domine.* Hoc ita verum conſemus, quòd per hanc cum Dei voluntate conformitatem, latro ille nebulo crucem mutauerit, quâ crimina plectebantur, in altare, quò ſe Deo ſacrificium acceptatiſſimum & hoſtiam immolauit: vnde SS. Patres cum Martyribus annumerant. Ita D. Cypriana *a*. D. Auguſt. *b* D. Hyeron. *c*. & alij. Quid hoc opus tantum, effecit? Voluntaria acceptatio eius quod neceſſario & ineuitabiliter ſibi accidebat: cruciatum hunc acceptando in pœnam ſuorum ſcelerum, dicendo: *Nos quidem iuſtè: nam digna factis recipimus.* Optabat enim ille, vt pœna illa, toto mundi æuo duraret, vt illa pro peccatis ſuis ſatisfaceret, & cruci confixus, Chriſti laudes intonat, eius innocentiæ præco, in cuius confirmationem veritatis, probroſam hanc mortem accepit patienter: *Hic nihil mali fecit. Eſt enim* (teſte D. Chryſoſt.) *patientia quæ Martyres facit.* Patientia quâ ſuos tulit latro cruciatus, illum martyrem conſecrauit: & ſubtiliter expendit D. Auguſtinus. Quod pœna quæ incœpit in latrone, finijt in martyre: cum illam enim ferret patienter, vt latro bene meritus, & Chriſtum confiteretur, in coronam verſa eſt martyrij: *Pœna cœperat in latrone, & nouo genere conſummatur in martyre.* Hæc quoque efficiet, & tu martyr ſis: ſi patientiam ſerues, & ſummis laborans anguſtijs, dixeris: *Etiam Domine.* O Domine, quàm agis ſapienter, iſtô me tractans modô, dum me ſuperbum laboribus affligis, reum cædis flagellis, & paupertate punis delinquentem.

a Epiſ. ad Iubaianum, & ſerm. de cœna, & ſer. de paſſ. Domini.
b er. 45. ex diuerſis & c. 1. de anima & c. 3. cap. 9.
c Epiſt. 58. 3.
D. Chr. In Pſ. 27. & Ho. 1. in 2. ad Corinth.
D. Avg. Ser. 45. ex diuerſis tribuitur D. Euſeb. T. 10.

## §. 18. Etiam Domine. *Ficus ſimus primi floris, vt mulier hæc.*

HIc illud optimè quadrat, quod in ſenſu litterali Dominus propoſuit vati Hieremiæ, vt notat D. Hieron. & cenſet illum eſſe ſenſum vulgarem, ſimplicem ac planum. In exceſſum rapiebatur, ſiſtebatur ad portas templi, cui Deus oſtendit duo caniſtra ficuum. *Calathus vnus ficus bonas habebat nimis, vt ſolent eſſe ficus primi temporis, & calathus vnus ficus habebat malas nimis.* Interrogat eum Dominus; propheta quid vides? Reſpondet: *Ficus bonas, bonas valde, ficus malas, malas valde.* Quid hoc noui Domine, ad portam templi ficuum caniſtra? Num forte locus hic fructuum eſt forum? Hic te vidimus altero die ita mercatum omnem in templo abhorrentem, vt licet oues, boues, ac columbæ ea eſſent animalia, quæ Deo in templo offerebantur, illa tamen expuleris, ac virgis ceciderís venditores: quâ igitur ratione tu modo hic ficuum cophinos exponis? Admirabile hic veneror ſacramentum. Iam Deus ſtatuerat populum ſuum ſupremis plectere tribulationibus, anguſtijs, captiuitate, flammis, ſiti, fame, qua libus illi antè ſæpius, per Hieremiam fuerat comminatus, ſæpe numero quoque & ipſe propheta illis nominatim & conſulto perſuaſerat, vt illis tribulationibus, à Deo miſſis, ſibi conſulerent ſapientiores, cum verò nec peccatis abſtinerent, nec eorum agerent pœnitentiam, certò certius prænoſcerent, ſupplicia ſe non euaſuros, quibus illos Deus ipſe vindex plecteret: quocirca patienter ac humiliter illa ſuſtinerent, iuſtam agnſcentes criminum ſuorum pœnam, imo ſceleribus multo ſuis inferiorem. Talibus eos rationibus, ac monitionibus ſæpius vates Hieremias exhortabatur, vt patet ex multis capitibus à vigeſimo & vltra. Oſtendit Vati ſuo Deus diſcrimen, inter vnum & alterum: erant enim aliqui ſicut ficus bonæ, bonæ valde: *Vt ſolent eſſe ficus primi temporis.*

In cap. 24 H.
Hier. c. 24. 1.

Erant autem hi, qui prophetæ conſilijs obſequentes, qui labores, qui plagas à Deo miſſas aduertentes, qui dum ſe captiuos in Babyloniam ductos lamentantur, dum ſe fame, ſiti, alijſque procellis cernunt agitatos, patienter & animo infracto hæc omnia perferrent, & cum

Chananæa Deo faterentur. *Etiam Domine.* O Domine: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*, nobis, tot criminum conſcijs, tot reis peccatorum. Rectum, & irreprehenſibile iudicium tuum: cum enim noſtras culpas non caſtigemus, eaſque tu ipſe caſtiges, vt pœnitentiam à te nobis impoſitam amplectimur, diſciplinam oſculamur, manum hæc omnia nobis facientem adoramus. Talis laudatur Rex Ieconias, & eius curiæ nobiles, ciueſque concaptiui, qui tracti in ſeruitutem tota mentis ſubmiſſione hoc Dei flagellum acceptârunt, dicentes: *Iuſtus es Domine,* Pſal.118. 137. *& rectum iudicium tuum.* Illi, inquit Dominus, ſunt mihi, *Vt ficus primi temporis.* Verba ſunt hæc abſcondita.

Prouerbium erat Domini frequens in ore ſuorum prophetarum: Mich.c.7. 1. *Præcoquas ficus deſiderauit anima mea.* Hac metaphora ſignabat Sanctos ſuos, qui à primis incunabilis Deo ſeruierunt, & toto corde ſe illi ſeruos conſignârunt fideliores; vt Abraham, Iſaac, & Iacob. Hoc quoque dixit per Oſeam prophetam: Oſe. c.9. 10. *Quaſi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum.* Ficus primi temporis, dulces, melle manantes, peccatis duriſſimis exoſſes. Significare voluit Hieremias, quòd illi grauiores peccatores, qui à Deo puniti, ſupplicium patienter ſuſcipiunt, & neceſſarium faciunt voluntarium, qui in ſpiritu humilitatis, & animo contrito Deo ſe ſubiiciunt reos, Deo ſint maxime grati, vt ſæpius Sanctis æquiualeant eminentioribus, qui talia numquam ſcelera commiſerunt: velut Daniel Deo ſubditus, acceptans voluntariè à Deo miſſam aduerſitatem. Ionas alter, in profundum maris pelagus relegatus, ad ceti ventrem captiuus damnatus: latro probroſo ſtipite pendulus, vt ante diximus. Ipſe rex Ioachim, cæterique eiuſdem captiuitatis conſortes: illi, inquit Deus, mihi ſapiunt: *Vt ficus primi temporis*, vt ficus bonæ, bonæ valde, peccatores, qui tribulationibus à me miſſis humiliantur, mihi ſubduntur, aperiunt oculos, & ſe grauioribus pœnis eſſe fatentur obnoxios: quo ſe ad culparum ſuarum diſponunt indulgentiam, vt ſuper illos mea effundam dona miſericordiæ: ſupplicia hæc, calamitates hæ, fames, anguſtiæ, cuncta hæc illis in maximum cedent Hier.c.24 emolumentum: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Sicut ficus hæ bonæ, ſic cognoſcam tranſmigrationem Iuda, quam emiſi de loco illo, in terram Chaldæorum, in bonum, & ponam oculos meos ſuper eos ad placandum, & reducam eos in terram hanc, & ædificabo eos &c. & dabo eis cor, vt ſciant me, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum; quia reuertentur ad me in toto corde ſuo.*

Diuina planè verba, quæ modum docent, quô miſſas à Deo ſuſcipiamus tribulationes, aduerſitates, flagella, quibus inceſſantur cædimur: ei ſcilicet cor noſtrum ſubijcientes, oculos aperientes, per diuinam eius gratiam, & ex toto corde nos ad Deum conuertentes. Alij vero calamitates illas impatienter recipientes, refractarii, queruli Deo recalcitrantes, & cum Deum iudicarent vt durum iniquumque populi ſui percuſſorem, eius ſe nollent flagellis ſubdere, nec illa recipere cum humilitate pœnitentes. Talis increpatur. Rex Sedechias ſuperbus, periurus, crudelis, Deo refractarius, qui prophetam Hieremiam hæc ſibi de ore Dei nuntiantem vinculis conſtrinxit fœdoque carceri mancipauit occidendum. Tales & aulici, & confœderati arguuntur, illi vt ficus malæ, malæ legis, malæ generationis, his tribulationibus computruerunt, vermibus, blaſphemijs, calumniis, impatientia, ſcatuerunt: *Sicut ficus peſſimæ,* Hier c.24 *quæ comedi non poſſunt, eo quod ſint malæ: hæc dicit Dominus, ſic dabo Sedeciam Regem Iuda, & Principes eius, & reliquos de Hieruſalem, & dabo, eos in vexationem. Sic & mittam in eos gladium* &c. Parcat tibi Deus, ne talis ſis, ne dum te virgis cædit peccatorum, recalcitres, obmurmures ingratus, & quæ tibi dare deberent anſam à peccatis abſtinendi, ne cauſa ſint committendi grauiora. Ficus bona Chananæa, ficus Dei palato ſapidiſſima, quæ vt de manu eius hanc ſuſcipit calamitatem, illâ ſe Deo voluntariè ſubdit, *Etiam Domine.* Quocirca illam credentium patri comparat Abrahamo: illam magnæ fidei compellat mulierem: *Vt ſolent eſſe ficus primi temporis.*

## §. 19, Magna eſt fides tua. *Videtur fidem hanc præferre fidei Abrahæ: Talis fides à Deo obtinet, etiam illud, quod ipſe dixerat, non eſſe bonum hoc facere.*

O *Mulier magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis.* Indubium erat, quòd tale conſequeretur. *Placet.* Qui, vt hæc mulier, rogaret: iam enim dixerat Chriſtus: *Qui ſe humiliat exaltabitur.* D Bernardus expendit hæc verba, & præclarum edit tractatum de humilitate & humiliatione. Non dixit Chriſtus: qui

„ 50 D. I. „ Qui ſe „ humiliat „ exaltabitur.

fuerit

Luc. 18. 14. fuerit humiliatus, exaltabitur, ſed qui ſe humiliauerit: poteſt enim quis humiliari, qui non ſit humilis. Quis magis humiliatus & proſtratus, quàm diabolus? & quàm parum humilis? Vocatur autem humilis, ille qui voluntariè & pio affectu tribulationem recipiens, conuerſus ad Deum, ait: O Domine, quàm bene mihi hoc conuenit. Hoc autem fit in magnæ fidei hominibus, quorum eſt tam viua fides, vt in ipſis opprobrijs, lucrum ſuum ac merita contemplentur. Talem veneror D. Paulum dicentem:
2. Cor. Cap. 12. 9. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Ita hæc eſt humilitas, *virtus Chriſti*, libenter, & voluntariè perferre calumnias & Dei flagella.
D. Bern. Ser. 34. in Cant. *Non dicit patienter ſe ferre infirmitates ſuas, ſed gloriari, & libenter gloriari in illis, probans ſibi bonum eſſe, quod humilietur.* Non erat in eo Pauli lucrum, Pauli meritum, quòd eum Deus humiliaret, ſed in eo quòd iſtam humiliationem acceptaret, vt ſibi fructuoſam. Hoc quoque primitùs dixit Dauid: *Bonum mihi quia humiliaſti me.*
Pſ. 118. 71. Occurrit illi Semei, Dauidi maledicit: *Egredere, Egredere, vir ſanguinum, & vir Belial* &c.
2. Reg. 16. 8. *Male dictum eſt illi à ſeruo* (inquit D. Bern.) *at ille, nec cumulatam iniuriam ſenſit, quia præſenſit gratiam.* Nota illud *præſenſit.* Viuamque nota Dauidis fidem; qui in illis dicteriis, vidit gratiam quam illi Deus facere dignabatur. *Quid mihi, ait, & vobis filij Saruiæ!* O *vere hominem ſecundum cor Dei, qui ſe vlciſcenti potius, quam exprobranti ſibi ſuccenſendum putauit.*

Quid hoc Dauid, quòd ei ſuccenſeas qui pro tuo pugnat honore defenſor, illum ſartum, tectumque deſiderans? In illum excandeſce, qui te nullis tolerandis prouocat contumelijs. O hominem fide viua illuſtratum! Vocat Abiſai, filium Saruiæ ſororis ſuæ, cum notans, qui carnis affectu duceretur. Non ſic: Ego quippe in his opprobriis fide contemplor, quæ mihi Deus per os Semei maledicentis loquitur. *Nunquid in ore blaſphemi Deus? Abſit, ſed eo vſus eſt ad humiliandum.* Me vult Deus humiliare: hic meum intueor meritum, ſi Deo me humiliante, ipſe me quoque humiliem: *Dominus miſit illum ad maledicendum Dauid. Prorſus homo ſecundum cor Dei, qui de corde Dei ferebat ſententiam. Seruiebat lingua maledica, & ille intendebat, quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis erat in auribus, & animus inclinabat ſe ad benedictionem. Nec latuit prophetam, quippe cui incerta & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtauit Deus. Ideo dicit: Bonum mihi, Domine, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. O quanti humiliantur,* inquit Bern. *& humiles non ſunt!* O quanti humiliantur, & ipſi ſe non humiliant? Mirare huius mulieris humilitatem. Illam Chriſtus humiliat, illa viua viget fide, vt Dauid, quid ſequitur? quod exaltetur. *O mulier magna eſt fides tua. Qui ſe humiliat exaltabitur.* Hæc eſt, ita hæc fides magna, in opprobrijs conſiderare gloriam &c. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Adhuc habes quod in huius mulieris humilitate contempleris, in eo quod cum eam hoc conuitio, foras canis Chriſtus exciperet. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum & dare canibus.* Ipſa illi reſpondet: *Etiam Domine; nam & catelli* &c. Hæc eſt illa humilitas, quæ tale meretur præmium. Non ſicut veſtra, (inquit D. Chryſoſt.) De te quippe bene dicis, quod peccator ſis, abominabilis proditor &c. Attamen ſi tibi hoc alius obiecerit, ibi tua patet impatientia, ibi vel parum mereris. Humilis publicanus, quem dum Phariſæus latronem, homicidam &c. criminatur; ſibi dicebat, & Deo: verum eſt: *Deus propitius eſto mihi peccatori:* & hac humili meruit veniam confeſſione.

Quàm ſecura erat mulier hæc, ô Domine, quòd talis oratio, tanta patientia, & perſeuerantia tanta, finem obtineret tam glorioſum: de te etenim alia prædicat ſancta mulier, cui probè tua erat cognita conditio. *Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita eius ſi in probatione fuerit, coronabitur: ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur, & ſi in correptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit: non enim delectaris in perditionibus noſtris: quia poſt tempeſtatem tranquillum facis; & poſt lachrimationem, & fletum, exultationem infundis.* Tob. 3. 21. Certum erat, diuine agricola, quòd ſuper tritici granum ferram non adigeres adeo grauem, vt illud comminueres, ſed vt paleis, & exteriori apparentia emundatum, eius in lucem educeres viuam fidem: & cum illam tanti facias ac ſedulus quæras, tuquè ille ſis, qui in te ſuſcipis, tuos extollere amicos, tu ipſe eius vis eſſe prædicator, eius præco celeberrimus, alterius hoc nulli fidens eloquentiæ, quàm tuæ, quâ in totius mundi corona, te quaſi mirabundum fatearis: *O mulier magna eſt fides tua.* Quàm ſapienti ictu Magdalena vas illud diffregit pretioſum: illô enim tantus exſpirauit odor, à Chriſto laudatus: quod: *Domus impleta eſt ex odore vnguenti.* Ioan. 12. 3. Non in eum finem cor percuſſit Chriſtus

ſtus huius mulieris, vt illud contereret, ſed vt pretioſi pyſtici vngenti exſpiraret odor, ac fidei ſuæ fragantia tanta, quam ipſe Chriſtus publico præconio commendaret. *O mulier magna eſt fides tua.* Hoc enim intendit, dum ei ne verbo quidem reſpondit, dum preces repulit Apoſtolorum, dum canem exprobat, vt ſuperiùs de S. Iob diximus, & eleganter expendit D. Chryſoſtom. *Ab initio & ante ingreſſum orationis, nihil reſpondit &c. In fine docet cur dare diſtulerit, non vt eam repelleret, ſed vt patientiam ipſius omnibus manifeſtaret. Nam ſi propter repulſam diſtuliſſet, neque tardè ei donaſſet, & nos minimè agnouiſſemus, mulieris ab initio uſque in finem fortitudinem. Dimitte, inquiunt, eam: quia clamat poſt nos. Vos auditis vocem; ego mentem video, ſcio quid dictura ſit, nolo theſaurum mentis ſuæ occultum permanere, ſed exſpecto, & ſileo, vt manifeſtetur, & omnibus clarius fiat.*

D. Chr. Hom. de profectu Euangelij ad finem, qua habetur poſt expoſit. Epiſt. ad Philippen. To. 4.

Verba hæc D. Chryſoſtom. ſubtiliùs expendit, & oculos ſuos in Chriſtum conijciens, quando illa dicebat, ait: *Monſtrauit, quomodo fidem eius obſtupeſcat*: Sicut etiam fidem obſtupuit Centurionis & quaſi alludens ad fidem Abrahæ demiratus eſt. Ratione huius comparat hanc mulierem Abrahæ, & illi videtur, quòd aliquo modo fidem præcurrat Abrahæ. Magna procul dubio fides Abrahæ, qui pater meruit audire credentium; quem magnificis promiſſis de terra ſua Deus eduxit, & eius dictis obediens neſcit quò tendat, per deſerta, per longiſſimos viarum anfractus, per terram inuiam, deſolatam, inhabitatam, vbi pauca domicilia, & ea quidem longo diſſita interuallo, nulla vbi hoſpitia: qui cum ſupplicem Deo libellum offerret generationis ac liberorum, annuit ac iurat illi Deus: attamen differt vno, altero, pluribus annis, nec implet promiſſa, vſque dum (teſte D. Paulo) ingraueſcente ætate, & labentibus viribus eſſet: *Corpus eius emortuum*, terræ ſaccus; vxor vero ipſius nonaginta annorum decrepita. *Et emortuam vuluam Saræ.* At magnam admiror fidem: licet enim corpus ſuum iam lugeret emortuum, ſeniles annos, iam proximus ſepulchro, & ſe ſuamque coniugem aptiores vt terræ mandarentur, quàm vt filii ex illa generarentur: tum demum à Deo beneficium ſperat recipere, & completionem præſtiti iuramenti. Magnum fidei Abrahæ argumentum: *Qui contra ſpem*, (inquit Apoſtolus) *in ſpem credidit, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, & emortuam vuluam Saræ.* Contra omnem ſpem, quam ex corporis infirmitate potuerat concipere, ex mulieris quoque Saræ, infœcunditate credidit, nec hæſitauit diffidentia, magis fidens Dei promiſſis, quàm iis quæ propriis oculis intuebatur: *Contra ſpem in ſpem credidit.* Non tantùm credidit, id quod non videbat, ſed contra id, quod in ſe, & Sara vxore ſua cernebat.

D. Chr. Hom. 38. & 44. in Gen. To. 1.

Ro. c. 4. 19

Ro. c. 4. 18.

Duo tamen hic conſidera (monet D. Chryſoſtom.) Primum: Abraham fuiſſe virum alacrem, vegetum, fortem robore, & in omnibus expertum, vt ipſe ſolus, ſibi vernaculis domus ſuæ coniunctis bello aggreſſus ſit quatuor aut quinque reges, quos in fugam compulit, & proſtrauit, & reverſus eſt triumphator. Secundum: Verbum Dei tenebat iam ſibi iuratum, Deus enim illi ſæpius, & amoroſis blanditiis optatam ſeminis generationem iurauerat, idque pluribus argumentis, cœlum illi ac ſydera demonſtrans. Deique verbo ſecurus innitebatur. Hæc vero mulier Chananæa, primò: mulier debilis, infirma, labilis, natura inconſtans ac mutabilis: fundamentum enim inconſtantiæ hominis eſt, ex muliere natum eſſe: *Homo natus de muliere*, &c. *numquam in eodem ſtatu permanet.* Egreſſa de finibus ſuis Chriſtum quæſitura perrexit, nullis allecta promiſſis: *A finibus illis egreſſa.* Chriſtum gradu feſtino inſequitur, quam Chriſtus nullis demulcet, palpatque blanditiis. Secundò: Nedum nullis nitebatur promiſſis, eorum quæ viua fide ſua deſiderabat, quinimo expreſſa negatiua repellebatur ab eo, qui præterquam, quod primum illi non reſponderit, deinde Mediatores Apoſtolos benignus non audierit, apertis illi verbis declarat. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum* &c. His nihilominus aſperis repulſa, quæ ſpem ſuam omnem radicitus euellebant, contra ſpem in ſpem credidit. Numquam ſecurior, fidentior numquam, quàm dum videt fidei ſpeique ſuæ totum quaſi corruiſſe fundamentum, dum ei dicitur: *Non eſt bonum.* Imo huic fidelis innititur argumento, quod ſibi contrarium eſſe videbatur, & ſpem ſuam eo confirmat audacior, quod omnem ſibi ſpem reſecabat: *Etiam Domine: nam & catelli* &c. Hoc eſt, (inquit D. Chryſoſtom.) quod Chriſtum in hæc verba compulit admirationis: *O mulier magna eſt fides tua.* Talis fides, & quidem in muliere? Sic ſe quoque veritas habet, vt meâ ſententiâ, nullus ſit, cui Deus ita fortiter ianuas occluſerit, cui tamen ſtatuerat auxiliari,

51 Gen. 14. 14.

Iob 14. 1.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

liari, atque huic, mulieri. Tertiò: claues retorſit: non aperiens: primò, non reſpondens, deinde diſcipulorum preces refutans, tertiò reſolutoriè reſpondens: hoc agere nullatenus expedit. *Non eſt bonum* An fortius occludi poteſt ianua, num vllus ſuperſit modus, quô ianua perfectè concludatur? Vero verius eſt, Deum non agere, niſi quod bonum eſt, ſed nec eius aliud quidquam poſſe omnipotentiam. Ipſemet reſpondet, & quaſi decretum ſtatuit: *Non eſt bonum.* A malo eſt ſumere panem filiorum, & dare canibus, eam pro filia perorantem exaudiri: quæ illi potuit ſpes ſupereſſe? Hic fidei mirabetis effectus, quâ mulier præcellit, orationis quoque efficaciam, quam viua fides exornat, vt meo iudicio, ſententia illa, illud dicatur, quod dici poteſt de illa, maximum.

Abundant hoc argumento ſcilicet S Scripturæ, nec in illis ſæpius quidquam repetitur, quàm vis orationis. Hoc argumento replentur Sanctorum volumina. Verumtamen quantum ſapio, nullus vltrogreſſus eſt, ſed nec eo acceſſit, vt tanta foret eius vis orationis, q à Deum illud agere conſtringeret, quod ipſemet definierat fieri non expedire: *Non eſt bonum.* Exaggerat D Paulus Sanctorum fidem, quæ tanta laudatur: vt *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij* &c. Sed minimè reperies dictum, quod Deum vicerint, ſicut regna, minus, quòd Deo os obturauerint, vt leonibus &c & multo minus, quòd non obſtante proprio eius de hoc decreto: *Non eſt bonum* petita conſequerentur. Hæc itaque fides magna: Hæc fides potens. Hæc eſt viuæ fidei oratio fœderata. Extollit D. Paulus populi Dei fidem tantam, quâ: *Muri Iericho corruerunt.* Quæ comparatio huius cum illo? huius enim mulieris oratione an non coram eius pedibus Dei voluntatem dixero corruiſſe? illam inſtar parietis, fortem, inexpugnabilem, vt de ea ipſe dixerit: *Viuo ego: quia conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Ipſe Deus ſe (parcite verbo) ad orationis mulieris proſternit præſentiam, efficaciam, & auctoritatem: *Fiat ſibi ſicut vis.*

Hebr. c. 11.33.

Hebr. c. 11. 30.

Iſai. 45. 10.

Matt. c. 6. 10.

Domine Deus, quæ hæc nouitas? Hoc vnum noui, quod me Domine docuiſti: vt homo quotidie ſuam Deo reſignet voluntatem: *Fiat voluntas tua,* vt heri diximus; ſed à ratione videtur alienum, & intellectu non intelligibile, vt hoc Deus dicat homini, & ſe eius conſignet voluntati, dicatque non viro, ſed mulieri, ſed Chananææ, ſed idololatræ; *Fiat tibi ſicut vis.* Perpende, quæſo, Domine mi, quod agis: inter conſilia quippe Spiritus S. hoc vnum audio: *Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, ne confundaris.* Cum enim ſit mulier ignara, non eſt illius, virum regere, nec ſuam viri præferre voluntatem, ſed viro eſſe ſubditam, eius præceptis obedire. Hoc enim illi ſic ſtatuit, qui ei à mundi primordijs dixerat: *Sub viri poteſtate eris.* Quomodo igitur, Domine mi, das mulieri poteſtatem animæ tuæ, tuam illius conformas ac tradis voluntatem: *Fiat tibi ſicut vis?* Attende autem, quòd ſi ſit mulier, mulier non eſt talis, qualis: ſed magnæ fidei: *O mulier magna eſt fides tua.* Quid hoc ſignificat? non ſolum ſignificat, quòd magna ſit ratione fidei, ſed quòd habeat excellentiſſimas qualitates, quæ fidem reddunt magnam. Amorem habet magnum, patientiam magnam, magnam humilitatem, magnam ſpem, opera magna, magnam cum mea voluntate conſonantiam, & tam firmam, vt eam ab illa deſtrahere non valuerint tribulationes, nec opprobria, nec frequentes repulſæ, nec ignominioſa cognomina: Iuſtum igitur eſt, vt ego ei meam conſcribam voluntatem, quæ ſapientiori conſilio me Dauidis filium inclamauit, qui vir ſecundum cor meum, de me hoc effatus eſt: *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet* &c. Magnæ fidei mulier. Huic ſuæ dat dominium voluntatis, in ea quoque ſubtiliter aduertimus, quod noſtra poſſit eſſe mediatrix. Impletur quoque hiſtoria Iacob. Commendat Spiritus S. gratiam, quam illi Deus contulerat: *Certamen forte dedit illi, vt vinceret.*

Eccli. c. 9. 2.

Gen. c. 3. 10.

Pſ. 19.

Pſ. 144 19.

Sap. c. 10. 12.

Lucta duriſſima, quâ Iacob cum Deo depugnabat, quem & ſuperauit, & licet ſæpius rogaret: *Dimitte me: iam enim aſcendit aurora.* Non eum tamen liberum dimiſit. Nota illud: *Dimitte me.* O mulieris inuictam fortitudinem: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Quod eſt nomen tuum? Iacob. Vocaberis Iſrael: *Vincens Deum.* Opinatur Caietan. vim verbi Hebraici referre: *Si dominatus es Deo.* Ita quoque videntur legere Septuaginta. Et Symachus Dominum te feciſti voluntatis Dei, quâ cuncta diſponit. Clarum eſt, hoc non debere intelligi abſolutè, ſed per Dei miſericordiam infinitam, ait D. Chryſoſt. vt illi vires, & alas addat. Quaſi diceret. Fratrem tuum ne timueris: meam enim tuis manibus conſigno voluntatem, vt in tui ſalutem fiat quidquid volueris.

Gen. 36. 26.

O myſterium. Mulier hæc tantæ fidei meritô
" voluntatis Dei conſequitur poteſtatem. Vos ap-
" pello viros, qui magnæ fidei viros vos eſſe glo-
riamini, vos mulier hæc confundit Chananæa.
Vos adiuro Chriſtiadas, qui titulo ſuperbitis Chriſtianiſmi, vos mulier pudore ſuffundit infidelis: ex illa diſcite quomodo eius imbuti magiſterio, cum Deo negociemini, cuius fauore gratiæ, perennem gloriæ in cœlo ſtatum obtineatis, Amen.

# SVMMARIVM
## HOMILIÆ DECIMÆ SEQVENTIS.

MEMORAT Euangelium, quoddam Chriſti miraculum cæteris celebrius factum Hieroſolymis, quo diuinitatis ſuæ maieſtas prodebatur. Ad hoc autem ſtatuit Hieroſolymis templum, illique vicinam piſcinam *a*. Ac præſenti miraculo feſtum elegit Paſchatis, quò plures confluerent teſtes *b*. Piſcinam erexit circa templum plurimis de cauſis *c*. In illa veræ pœnitentiæ inſinuans ſymbolum, in eo quod eſſet Hieroſolymis *d*. Et quòd ſalutem impertiret commotis per Angelum aquis, diligentiori *e*. Abbreuiata erat eiuſdem efficacia, *f*. Nec potuit in ea curari paralyticus: non enim peccatum, infirmitatis radicem auferebat *g*. Iniecit in illum Chriſtus oculos ſuos: cuius enim vult miſeretur *h*. Cuius rogat voluntatem, quò oſtendat, tuam ad tuæ animæ ſalutem, requiri voluntatem *i*. Remedium non inuenit paralyticus, illud ab hominibus exſpectans *k*. Tibi quoque decrit: non enim ſunt homines *l*. Eum Chriſtus ſanitati reſtituit, in ſuæ potentiæ declaratiuum, ipſius probaticæ viribus longè ſuperioris *m*. Tria hæc præſcribens: *Surge, tolle lectum tuum & ambula*: ex quibus tuum pendet remedium *n*. Quem grauiter hortatur, ne deinceps reincidat in peccatum *o*.

*a* §.1.2.
*b* §.3.
*c* §.4.
*d* §.5.
*e* §.6.
*f* §.7.
*g* §.8.9.10.
*h* §.11.
*i* §.12.13.
*k* §.14.
*l* §.15.
*m* §16.
*n* §.17.
*o* §.18.19.

§. 1. *Erexit Dominus Hieroſolymam, vt in ea ſeipſum manifeſtum redderet vbi & probaticam ſtatuit, in templi ſubſidium, vt Abiſ g quæ Dauidem foueret.*

§. 2 *Probatur Chriſtus probaticâ ſuperior, vt olim ipſis cœlis.*

§. 3 Erat dies feſtus Iudæorum. *Operatur Chriſtus hoc miraculum in feſto celebriori, quo plures habeat teſtes.*

§. 4. Eſt Hieroſolymis probatica piſcina. *Nullibi commodius piſcina quàm circa templum, & pauperes ad eius valuas, in noſtrum beneficium.*

§. 5. Multitudo languentium. *Piſcina ſymbolum eſt pœnitentiæ, & tria genera infirmorum, tria ſunt genera peccatorum.*

§. 6. Qui prior &c. *Diligenter accurrendum, vt Dauid, quando Angeli mouebant piſtrorum cacumina.*

§. 7. Sanabatur vnus. *Anguſtum remedium, ſaluti corporis non prouidet ſicut animalibus.*

§. 8. Erat homo &c. *Corpus non ſanabatur, ſi cui erat anima infirma; nec mare ſedabatur, Iona naui non eiecto.*

§. 9. *D. Ephrem oſtendit Deus, quòd labores immittit ob peccata vel oblita vel non notata ſicut huic.*

§. 10. Triginta & octo annos. *Ad triginta & octo annorum paralyſim, leuiora ſufficiunt delicta.*

§. 11. Hunc cum vidiſſet. *Pauperculum vidit: hoc enim ei proprium eſt, & miſereri, qua ratione & cuius vult.*

§. 12. Vis ſanus fieri. *Si tu nolueris, non te ſanabit Deus, qui dicitur ludere cum hominibus.*

§. 13. *Non ſanaris: quia non vis abſoluta voluntate,*